CLAVIS APOCALYPTICA EX INNATIS ET INSITIS VISIONUM CHARACTERIBUS ERUTA ET DEMONSTRATA.

Ad eorum usum quibus Deus amorem studiúmq; indiderit Prophetiam illam admirandam cognoscendi scrutandíq;.

Editio secunda ab Authore recognita.

APOCAL. I. 3.

Beatus qui legit (id est, interpretatur) *& qui audiunt* (interpretantem) *verba Prophetiæ hujus, & observant quæ in ea scripta sunt: Tempus enim propè est,* (id est, jam adest) quo eadem impleri cœperint, & indies magis magisque implebuntur.

BIBL. CANT. ACAD.

CANTABRIGIÆ
Apud THOM. BUCK celeberrimæ Academiæ Typographum. Ann. Dom. 1632.

CAMBRIDGE UNIVERSITY LIBRARY
744 97

CLAVIS APOCALYPTICA:
SEU
Vaticiniorum Apocalypticorum SYNCHRONISMUS & ORDO

secundum res gerendas, nullius interpretationis Hypothesi, aut eventûs rerum praejudicio innixus; sed ex ipsis Visionum characteribus à Spiritu S. dictâ operâ inditis firmiter demonstratus, juxtâque luculento Schemate ad inveniendum propositus: ut ne tanquam Theseum filum in sacro hoc Labyrintho versaturis, & à judice lapis ad veram interpretationem indagandam, & alienam redarguendam.

PRÆNOSCENDA.

1. SYNCHRONISMUM Vaticiniorum voco rerum in iisdem designatarum in idem tempus concursum; quasi contemporationem dixeris & coætaneitatem: Propheciæ siquidem de rebus contemporaneis συγχρονίζουσι.

2. Ordo Sigillorum, & in istis Tubarum, certus est & indubitatus, is nimirum quem numerus cuique ascriptus indigitat, I. II. III. IIII. V. VI. VII. Reliquis igitur Vaticiniis primùm inter se, deinde cum Sigillis per Synchronismum comparatis, elucebit ordo totius Apocalypseos: id quod nunc ostendere aggredimur.

Tu *qui Throno insides*; Tuq; *Agne Stirps Davidis*, qui *solus dignus eras Librum hunc accipere & aperire*; aperi oculos servi tui, manum ei mentémq; dirige, ut in hisce Mysteriis tuis aliquid cernat promátque, ad Nominis tui gloriam & Ecclesiæ emolumentum.

PARS PRIMA.

SYNCHRONISMUS I.

MULIERIS IN EREMO AGENTIS,
BESTIAE SEPTICIPITIS INSTAURATAE,
ATRII EXTERIORIS CALCATI A GENTIBUS,
TESTIUM INTEREA PROPHETANTIUM IN SACCO.

HIc ordior; primúsq; mihi Synchronismus erit nobilis istius quaternionis Vaticiniorum æqualibus Temporum intervallis insignium; 1. Mulieris in Eremo agentis per Tempus, Tempora, & dimidium; seu, ut ibidem explicatiùs dicitur, Dies 1260. 2. Bestiæ Septicipitis instauratæ rerúmq; potituræ Mensibus XLII. 3. Atrii exterioris (seu Civitatis Sanctæ) totidem Mensibus calcati à Gentibus. Denique, Testium in sacco prophetantium Dies 1260.

Hujus Synchronismi veritas ferè in confesso est, & tum astrui posse videtur, tum verò solet ex ipsa æqualitate Intervallorum: Nam *Tempus, Tempora, & Dimidium Temporis*, .i. tres anni cum semisse (ut patet ex collatione ver. 6. & 14. Cap. 12.) efficiunt Menses XLII; Menses XLII Dies 1260.

Sed quoniam necessarium non est (utcunq; in Visionibus eodem tempore oblatis perquam verisimile) ut Tempora æqualia sint etiam σύγχρονα, cùm æqualitas non prohibeat, quin alia aliis priora, alia posteriora esse possint: ideo Character iste æqualitatis intervallorum non erit præfracto cogendo idoneus. Proinde Characteres mihi aliunde accersam, ex quibus demonstratione clarâ & invictâ rem fic conficio.

Beſtiæ & Mulieris.

Tempora Beſtiæ & Mulieris eremicolæ ab uno eodémq; rerum termino egrediuntur, nimirum à *Dracone rufo* devicto, & in terram deturbato: ergò, æqualia cùm ſint, toto intervallo concurriſſe, & ſimul tandem curriculum ſuum abſolviſſe neceſſe eſt.

Ab illo autem principio ſeu termino utriuſque tempora inchoari, patet ex Cap. 12. Siquidem, cùm jam dejecto Dracone per Michaelem, ſimul *Mulier à facie ejus evadit in Eremum*, [ver. 6. & 14.] *iratus Draco*, quòd ipſam eò jam ingredientem obruere incaſſum tentâſſet [verſibus 15, 16, 17.] *abiit ut gereret bellum cum reliquis ex ſemine ejus* (iis nimirum quos in Eremo paritura erat, v. 17.) *ſtánſq; *ſuper arenam Maris*, [v. 18.] *Beſtiæ Decemcornupetæ indè aſcendenti* [Cap. 13. 1.] *tradit virtutem ſuam, & thronum ſuum, & poteſtatem magnam*; ibid. v. 2.

* Nam proculdubio legendum cum Latinis omnibus, Græco Aldi, anno 1518, & Syro interprete (qui ex Græco vertit) ut hodie habent exemplaria Græca, *Et ſtetit*, non *Et ſtetit*.

Beſtiæ & Prophetiæ Teſtium.

Tempora Beſtiæ & Prophetiæ Teſtium, perinde æqualia, ſimul finiuntur ad exitum ſextæ Tubæ: ergò ſimul quoque incepiſſe, ac per totum intervallum contemporâſſe manifeſtum eſt.

Jam quòd ſimul cum ſextæ Tubæ exitu finiantur tempora, tum Beſtiæ, tum Teſtium Dei in ſacco & cilicio prophetantium, id verò liquet ex verſ. 14. cap. XI. ubi tam aſcenſus Teſtium in Cœlum (qui pullatæ prophetiæ terminus eſt) quàm Terræ motus iſte magnus (quo, Urbe regiâ disjectâ, de Beſtiæ regno actum eſt) ſignatur articulo, quo

quo VÆ *secundum* (.i. Tuba VI) abierit, VÆq; *tertium* (seu Tuba VII) protinus adventurum esset. Quippe eo temporis momento, Testes (quos *testimonium suum* in sacco *jam jam finituros* (hoc enim est ὅταν τελέσωσι) *Bestia, quæ ex Abysso ascenderat, morte affecisset*) *divinitus reviviscentes in cœlum ascendisse*; [ver.7,11,12.] *factóque eâdem horâ* [ver. 13.] *terræmotu magno*, δέκατον URBIS *corruisse*; eóq; rem deveniſſe, ut ſeptimâ Tubâ clangente, *facta ſint regna mundi Domini noſtri & Chriſti ejus*, ver.15.

Teſtium & Atrii (ſive Civitatis Sanctæ) à Gentibus occupati.

Tempora Teſtium, & Atrii (ſeu Civitatis Sanctæ) occupati à Gentibus, contemporare liquet, tum ex mente textûs, cap. 11. v. 2, 3. tum ex ira Gentium jam exturbatarum, ineunte Tubâ ſeptimâ; id eſt, à fine ſextæ, quando Teſtium quoque dies exierunt, ut jam oſtenſum eſt. Nam non aliæ ſunt Gentes, quæ ver. 18. ad ſeptimæ Tubæ clangorem, *irâ inflammari* dicuntur, quàm quæ hactenus totis XLII menſibus Atrium Templi exterius (id eſt, Civitatem Sanctam) conculcâſſent, quæq; nunc ideo ab ira Dei perdendæ veniunt. Et hic quidem Synchroniſmus à nemine, quod ſciam aut meminerim, in dubium vocari ſolet.

Teſtium, Atrii, Beſtiæ, Mulieris.

Si Atrii Civitatíſq; Sanctæ Conculcatio contemporavit Prophetiæ Teſtium, contemporabit quoque Beſtiæ, cui Teſtes contemporaverint; ideóque etiam Mulieri Eremiticæ, cui contemporavit Beſtia. Ità Mulier Eremitica, Dominium Beſtiæ, Calcatio Civitatis Sanctæ, & Prophetia Teſtium, ſingula ſingulis συγχρονίζουσι.

SYN.

Synchronismus II.

Bestiæ Bicornis (qui et Pseudoprophetæ) cum Bestia Decemcornupeta (quæ et Imago Bestiæ dicitur) Cap. 13.

BEstia enim bicornis conditor est, seu instaurator Bestiæ illius septicipitis, decem cornua diadematis redimitæ, quam scilicet, post lethalem plagam, ad pristini cujusdam statûs Imaginem, magno cum Sanctorum malo redintegravit, & verò rerum totis mensibus XLII potituram [cap. 13. ver. 3,5, 12,14,15.] Quo facto, *ipse in conspectu ipsius omnem potestatem ejus exercet; edit quoque,* (seu *facit*) *signa magna in conspectu ejus,* [ver. 12,13. & cap. 19. v. 20.] Tandem verò eadem hæc Bestia bicornis (quam aliàs Pseudoprophetam Joannes vocat) unà cum Bestia illa altera, *in cujus conspectu ediderat signa,* tanquã comites individui *apprehenduntur, & vivi conjecti sunt ambo in stagnum ignis ardens sulphure,* cap. 19. v. 20. Cùm ergò Bestia Decemcornupeta (fas enim mihi sit, Bestiam illam Septicipitem redintegratam sic evidentiæ causâ appellare) & Bicornis Pseudopropheta à se invicem neque ortu suo neque interitu separentur; quinetiam altera alterius potestatem ἐνώπιον αὐτῆς, hoc est, in præsentia ipsius administret: quis non videt illas omni ævo suo necessariò contemporare? Ut autem res tota rectè percipiatur, sciendum, nullum alium Bestiæ septicipitis statum cap. 13. describi, quàm instaurationis, seu capitis novissimi, quo Decemcornupeta evasit; id quod totâ descriptionis series evincit. Quicquid enim mali Bestia patrâsse dicitur, quicquid cultûs & adorationis eidem ab incolis terræ delatum est, id omne post

instaurationem ipsius, seu plagæ curationem, factum perhibetur. Porrò, decem cornua ad caput seu statum Bestiæ noviſſimum (qui status instaurationis istius est) pertinere, ex Angeli interpretatione cap. 17 manifestum est. Siquidem ibi, quum *quinque capita cecidissent*, id est, vices suas compleviſſent; sextum autem jam tum Joannis ævo vicem suam obiret, cornuum tamen tempus nondum adveniſſe dicitur. Ergò ad septimum seu noviſſimum caput pertinere necesse est.

Appendix de alternatione nominum Bestiæ & Pseudoprophetæ; item Bestiæ & Imaginis Bestiæ.

De utraq; enim monebat Titulus Synchroniſmi. & primò, eandem esse Bestiam bicornem, atq; Pseudoprophetam, ex vetustiſſimis Apocalypseos interpretibus obſervavit Irenæus. id quod ex collatione ver. 13, 14, 15, 16. cap. 13. cum versu 20 capitis 19. adeò clarum est & manifestum, ut ulteriori confirmatione non egeat.

Sed quod porrò præfert Titulus, Bestiam Decemcornupetam nomine Imaginis Bestiæ aliàs signari solitam, id minùs liquidum est, & de quo Lectori non nimis forsan attento nihil suboleret. Illud tamen ità esse, haud temerè mihi obſervâsse videor; ac proinde, ubicunq; occurrit Bestia cum Pseudopropheta (id quod ter factum reperio) ibi Bestiæ cognomento, non aliam quàm Decemcornupetam Bestiam intelligi; cùm per Pseudoprophetam, Bicornem designari satis liqueat. Contrà, ubi cum Bestia Imaginem Bestiæ componi videas [ut cap. 14. ver. 9, 11. cap. 15. v. 2. cap. 16. 2. cap. 19. 20. & cap. 20.

cap.20.4.] istîc per Bestiam, Pseudoprophetam intelligendum esse, per Imaginem verò ejus, Bestiam Decemcornupetam, seu Septicipitem restitutam: Hæc enim, cùm Pseudoprophetam Instauratorem suum agnoscat, séque totam arbitrio ejus tanquam supremi Domini regendam permittat [cap.13.v.12, 14,15.) non immeritò Imago ejus dicitur; non quidem cujus similitudinem gerit, Genitivo passivè sumpto (eo namque respectu alîus Imago est, Draconis fortè Septicipitis, aut statûs in quo viguit ante plagam, juxta cujus ideam scilicet de integro Deum blasphemat, bellúmque gerit adversus Sanctos) sed Imago, cujus Bicornis iste Draconiloquus & restituendæ author fuit, próque peculio suo vendicat, Genitivo nempe Agentem & Possessorem denotante; quemadmodum in iisdem illis locis Character Bestiæ non est, qui ipsi Bestiæ imprimitur, sed quo Bestia eadem illa cultores suos inurit.

Et quidem rem ità se habere, ut dixi, de Imagine Bestiæ, argumento est primò, quod cap.13. ver.15. dicitur, illam ipsam Imaginem Bestiæ, quam ibi animavit Pseudopropheta, *facere ut quicunque non adorârint Imaginem Bestiæ occidantur*; imò alibi (ut Bestiam agnoscas) adorandi verbo ferè semper subjicitur, tanquam aliquid in quod adoratio competat. Cùm igitur duas tantùm, non plures delineet Apocalypsis Bestias; hæc tam improba cum non dispari sive jubendi sive cogendi potestate Majestas non potest non earum alterutri convenire. Porrò ubi Bestia simul adest cum Pseudopropheta, Imago Bestiæ, in eadem verborum constructione, non comparet, quasi nimirum tunc vicem ejus suppleret Appellatio

Beſtiæ. Denique ejuſdem illius eſſe dicitur Imago Beſtiæ, cujus eſt Nomen Numerúſque, c.15. 2. At verò Nomen & Numerus non alterius Beſtiæ dici videntur, c.13. quàm Bicornis: ejuſdem igitur (utputa Architecti & Domini) Imaginem quoq; dici, par eſt. Sed Imago hæc, ſive ſit, ſive non ſit Beſtia illa Decemcornupeta, inſtituto noſtro nihil officit quidquam: huic enim hypotheſi non innititur Synchroniſmus Beſtiarum.

SYNCHRONISMUS III.

MERETRICIS MAGNÆ SEU BABYLONIS MYSTICÆ CUM BESTIA EADEM ILLA SEPTICIPITE DECEMCORNUPETA.

1. TEmpus Beſtiæ eſt tempus Deſerti [*Synch.*1. §.1.] Meretrix autem à Joanne conſpicitur in Deſerto, cap.17.ver.3,4. Sed hic character non multum cogit.

2. Beſtia Decemcornupeta portat Meretricem, ſeu mavis Mœchatricem, & Meretrix inſidet Beſtiæ: ergò ambæ ſunt unius ejuſdémque temporis, ver.3,7.

3. Decem cornua Beſtiæ (quibus ſcilicet [*N.B.*] ſupremum ejus noviſſimúmque Caput frondeſcit, cujúſque ſolius ſub vicibus (quibus utique à lethali plaga revixit, reliquorum Capitum vicibus jam antea peractis) Meretrix Beſtiam agit, Beſtiáq; Meretricem bajulat:) hæc, inquam, *decem Cornua ſunt decem Reges, qui authoritatem ſuam ut Reges ad unam horam accipiunt cum Beſtia*, reſtitutâ illâ videlicet, Mœchatricem bajulante, jámque Decemcornupetâ,

tâ, hoc est, ultimi Capitis vices exercente. Hi, expleto tempore quo *autoritatem suam erant tradituri Bestiæ* [ver.13.17.] id est, quando jam dissolvenda venerat compago Bestię, *Meretricem odio prosequuntur, desertam illam reddunt & nudam*, tandémque *exurunt igne*, [ver.16.] Ità igitur Bestia, quæ in Statu decacorni (quo solo eam Joannes propheticè contemplatur) cum Meretrice, hoc est, Mœchatrice, primùm cœperat, Meretrici quoque non erit superstes, neque illi Meretrix: ergò, Meretrix & Bestia illa universè & ad amussim συγχρονίζουσι· ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

SYNCHRONISMUS IIII.

CENTUM ET QUADRAGINTA MILLE SIGNATORUM, VIRGINUM, CUM MERETRICE BABYLONICA ET BESTIA.

1. PRimò enim Virgines dicuntur, atque ab eo laudantur, quòd meretriciis complexibus sese non coinquinâssent Cap. 14. v.4. Incidunt ergò in meretricia tempora Mœchæ Babylonicæ, *quacum fornicantur Reges & incolæ terræ*, Cap. 17. ver. 2. & 18. 3.

2. Ex Choro hoc Virgineo prodeunt, qui ruinam Babylonis denuntiant [vers. 8. ejusdem cap. 14.] quíque absterrent homines ab omni communione Bestiæ, Imaginis, Characterísque ipsius: Ergò Cœtus iste Virgineus contemporat Babyloni & Bestiæ.

3. Hi deniq; sunt *Vocati isti, electi & fideles* Agni stipatores vers. 4. cap. dict. quibus comitatus cap. 17. 14. bellum gerit cum Regibus seu Cornubus

Beſtiæ Babylonicæ; quíque ejus auſpiciis (utpote Regis Regum & Domini Dominantium) victoriam tandem reportabunt [ibid.] Illa enim de *Domino Dominantium & Rege Regum*, per parentheſin cenſeo legenda; ubi dicit Angelus, *Hi cum Agno pugnabunt, & Agnus vincet eos (quoniam Dominus Dominorum eſt, & Rex Regum) & qui cum eo ſunt Vocati, & Electi & Fideles:* hoc eſt, Agnus, & qui cum eo ſunt Vocati, Electi & Fideles, vincent decem Reges Babyloniferos.

4. Sed hæc nondum ad contemporationem plenariam & in ſolidum aſtruendam ſufficiunt. Poſſunt enim omnia, vel cum partiali contemporatione conſiſtere. Sic igitur in univerſum & ad amuſſim Cœtum Signatorum Agni Beſtiæ contemporare demonſtro. Cœtus iſte Signatorum, Beſtiæ ſeu Beſtiiſequarum univerſitatis Ἀντίσοιχον coævum eſt; copiæ videlicet ſanctorum militum, tum cùm cæteri Orbis incolæ deſertores & transfugæ Beſtiæ characterem accepiſſent, in Agni fide etiamnum permanentium. Patet ex textu. Unde, ut olim priſco ritu ſervi & milites, ejus cui fidem ſuam addixerant, ſtigmate notari & nomine inſcribi ſolebant: ità iſti *nomen Agni & Patris ejus in frontibus* geſtare perhibentur. Hoc cùm ità ſit, ſequitur, utrumque alteri commenſum eſſe & pari omnino intervallo reſpondere. Poſcit enim hujuſcemodi ἀντισοιχίας ratio, ut Cœtus Signatorum Agni, pro eo quod Viſo iſto intenditur, ex oppoſita Beſtiæ ratione penitus æſtimetur: citra cujus nempe oppoſitionem ipſe, ex mente hujus Viſi, rationem nullam habeat, proindéq; cum eadem incipiente incipiat, deſinenteq; deſinat.

5 Porrò

5. Porrò de finali Contemporatione, id etiam iſto charactere ex cap. 7. evinci poteſt. Quia utriuſque, tam Beſtiæ tyrannidis, quàm Cœtûs iſtius Signatorum limes eſt Turba Palmifera: Beſtiæ, quia de Palmiferis ibidem dicitur: *Hi ſunt qui venerunt ex tribulatione magna.* quâ verò tribulatione, niſi Beſtiæ Sanctos tribulantis? Ergò Beſtiæ tyrannidem à tergo relinquunt. Cœtûs Signatorum; quia eum Turba Palmifera continuò ſequitur, ut ex Tranſitione iſta Μετὰ ταῦτα εἶδον manifeſtum eſt.

V
CONSECTARIUM
De generali omnium hactenus memoratorum Synchronismo.

ITà Mulieri Eremicolæ, Conculcationi Civitatis Sanctæ, & Teſtibus interea ſacco plangentibus contemporavit Beſtia rediviva ſeu Decemcornupeta, *Synch. I.* Beſtiæ Decemcornupetæ Beſtia bicornis, *Synch. II.* Utrique Meretrix, *Synch. III.* Meretrici & Beſtiæ Virgineus Signatorum Cœtus, *Synch. IIII.* Ergò omnia omnibus συγχρονίζουσι.

Synchronismus VI.
Atrii interioris calamo Dei commensi Draconisque septicipitis insidiarum et praelii cum Michaele de Puerperio.

SUnt enim proxima antecedentia contemporaneorum: Prælium Draconis ac Mulieris puerperi-

perium, Habitationis Mulieris in Eremo, Beſtiæq; decemcornupetæ; Atrium interius (ejus enim periphraſis eſt, quod de Ναῷ τῷ θεῷ, Thyſiaſterio & adorantibus illîc pro more Sacerdotibus dicitur) Atrii exterioris ſeu populi, ubi gentes præter jus & fas ſtabulari perhibentur.

Primò enim utrumque, tam puerperium Mulieris, quàm dimicatio Draconis cum Michaele, in eundem omnino terminum impingit, Fugam Mulieris in Eremum; quæ utriuſque rem geſtam proximè excepiſſe dicitur. Nam Mulier, ſimul ac peperit, *fugit in Eremum*, ibi alenda dies 1260. cap. 12. v. 6. Similiter, Dracone deturbato, *fugit Mulier in Eremum, ibi alenda à facie Serpentis*, ſeu Draconis, *per tempus, tempora & dimidium temporis*, v. 13, 14. Propterea duo hæc, ut vides, in unum confert titulus Synchroniſmi, tanquam ejuſdem temporis & junctæ omnino rei Viſiones, quáſq; in hoc negotio ſeparare adeò opus non fuerit.

Porrò idem illud Duellum, quo Michael Draconem devicit, proximè anteceſſit Beſtiam ſepticipitem redintegratam, ſeu Decemcornupetam: nam Draco, ſtatim ut deturbatus eſt in terram, *Stans ſuper arenam maris*, Beſtiæ indè emergenti de cætero *tradit* vices ſuas .i. *virtutem ſuam, thronum ſuum & poteſtatem magnam*; & (ut cum * Irenæo habet Editio Complut.) *unum ex capitibus ſuis quaſi occiſum ad mortem; cujus curatâ plagâ, Beſtiam admirans ſequuta eſt univerſa terra*, cap. 13. v. 1, 2, 3.

* Lib. 5. cap. 28. al. 23. & huic quoque lectioni aſtipulatur textus apud Andream Cæſarienſem in Codice Auguſtano; nec non Syrus Interpres qui nuper editus eſt. Imò apud Latinos Primaſius illud (vidi) non legit, quamvis perinde acceperit, addendo verbum [*fuerit*]. Illi impoſuit, quòd Latinè *Unum ex capitibus*, &c. de caſu ambiguum ſit, non item Græcè.

Atque

Atq; hucuſq; res plana & liquida eſt: ſed de anteceſſu Atrii interioris ad Atrium exterius (quod unicũ ad Synchroniſmum hunc conficiendum reſtat) paulò difficilior eſt probandi provincia, quia res diu aliter credita, ideóq; prę judiciis impedita. ſic tamen oſtendo. Atrium interius, ratione ſtructurę Templi, ſitu & ordine antecedit Atrium exterius, qui Throno Dei, ſeu τῷ Ναῷ (qui totius ſtructurę caput) proximus erat. Ergò, ſi res ſignificatę diverſorum temporũ ſint (neq; enim novum eſt, ordinem ſitûs ordinem temporis denotare, ut in ſtatua quam ſomniavit Nebuchadnezar, videre eſt:) ſanè Interioris Atrii ſignificatum Exterioris ſignificato tempore prius eſſe, rationi conſentaneum eſt. Eſſe autem Atriorum ſignificata diverſorum temporum, atque adeò Interioris Atrii ſignificatum antiquius & prius altero, ſic porrò demonſtro. Quia Viſio hæc Atrii *Templi & Altaris*, ſeu interioris, menſurandi, exordium eſt Prophetiæ repetitæ; quæ nempe (ut mox pluribus oſtendetur) ab origine & quaſi ab ovo relegit tempora Prophetiæ Sigillorum, quorum initium ab ipſa intervalli Apocalyptici Epocha accerſendum, nemo dubitaverit: *Oportet te* (inquit) *iterum prophetare* (ità libri comeſti ſymbolum explicat) *populis, gentibus, linguis, & regibus multis. iterum*, πάλιν, id eſt, ordine temporum, de quo antè prophetaverat, repetito. Incipit autem à dimenſione iſtac τῦ Ναῦ & Thyſiaſterii, eorúmque qui illîc adorabant. Si igitur Viſio de Mulieris puerperio & Draconis prælio (quæ ipſa pars eſt Prophetiæ hujuſce repetitæ) ad ipſum caput periodi, ſeu Temporis Apocalyptici aſcendat; uſque adeò, ut nihil eâ antiquius habeat

Apocalypſis, quódve altiùs originem ducat (id quod, tum ex rei ipſius ingenio, quæ partus eſt, tum ex hactenus firmatis & porrò firmandis patebit Synchroniſmis:) quidni multo magis ejuſdem Prophetiæ exordium, & prima omnium Viſio eodèm aſcendere putaretur? At Atrii exterioris Menſes eò aſcendere nequeunt; ut qui toti jam Beſtiæ decemcornupetæ contemporaverint. Ergò interioris Atrii τῶ ἐμμήτρω tempora, exterioris τῶ ἀσυμμήτρω. Menſes non ſolùm antecedere, ſed ab origine Prophetiæ repetitæ, unà cum Viſione de Puerperio & Dracone, duci debere, mihi quidem liquidiſſimum eſt.

Jam tria hæc, Mulieris habitationem in Eremo, Beſtiam decemcornupetam, Atrium exterius à Gentibus calcatum, contemporanea eſſe, patet ex primo Synchroniſmo: Ergò Atrii interioris commenſi tempora, & Puerperium Mulieris, unà cum Draconis inſidiis & Prælio cum Michaele, ſunt proxima antecedentia contemporaneorum; & conſequenter ipſa quoque ſibi invicem non poſſunt non contemporare; ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

SYNCHRONISMUS VII.

SEPTEM PHIALARUM & BESTIÆ BABYLONISQUE AD OCCASUM VERGENTIUM.

EFfuſio Phialarum affert ruinam & interitum Beſtiæ, ut ex textu ipſo manifeſtum eſt. Canunt

nunt enim Victores Bestiæ canticum Mosis ὠπινίκιον, cap. 15. vers. 2. 3. Atque porrò speciatim patet de Phiala prima [cap. 16. v. 2.] quæ ulceris plagam immittit *in homines habentes characterem Bestiæ & eos qui adorabant Imaginem ejus:* De quinta [vers. 10.] quæ effunditur *super thronum Bestiæ, & Regnum ejus reddit tenebrosum:* Itémque de ultima, quâ effusâ, Babylon funditus excinditur, [vers. 19.] Ergò Effusio Phialarum contemporat Bestiæ & Babyloni finientibus.

PARS ALTERA.

PEregi partem primam septem Synchronismis; sequitur pars altera Sigillaris, in qua omnium hactenus dictorum, & si qua præterea sunt, Vaticiniorum connexionem cum Sigillis, aliis totidem Synchronismis demonstrabo. unde perspicuum evadet, (res observatione dignissima, & non parum interpretaturo momenti, ni fallor, allatura) Apocalypsin totam indè à Capite quarto (nam de septem Ecclesiis jam nihil interpono) in duas dispertiri Prophetias principales, quarum utraque ab eadem Epocha & quasi carceribus egreditur, desinítque in eandem metam. Prima est Sigillorum, in iísque Tubarum; nam Sigillum septimum Tubarum est Sigillum. id quod ex Grammatico contextûs sensu ubique pro concesso sumo. Neque enim qui in cæteris Sigillis omnibus sensûs ordo tenetur, is septimo solo non

convenire putandus eſt: ut quod Sigilli reſerationi ſubjicitur viſum, id Sigilli τὸ πρᾶγμα ſit. Jam autem ſeptimi reſerationem excipit viſio Angelorum ſeptem cum ſeptem Tubis. Altera Prophetia (ſeu mavis, viſionum Propheticarum ſyſtema) eſt τοῦ Βιβλαριδίου, ſeu *Libri aperti*, quæ ab eodem exorſa Temporis Apocalyptici principio, prioris, quæ Sigillorum eſt, Prophetiæ Tempora relegit, à verſu 8 capitis 10, ad finem libri: Háncque Prophetiæ repetitionem indicari Tranſitione iſtâ verſ. 11. cap. ejuſdem, ubi Joanni ait Angelus, *Oportet te iterum* (πάλιν) *prophetare populis, & gentibus, & linguis, & regibus multis*. Porrò illud quoque, Lector, animadverſione tuâ fortaſſe non erit indignum; ad utriuſque iſtarum, perinde atque primæ omnium Viſionis de ſeptem Eccleſiis, quaſi trium integrarum Prophetiarum, initia ſingula *Voce tanquam Tubæ de Cælo cum Joanne loquentis* proclamari: quaſi hoc indice diſtinguere voluiſſet Spiritus ſanctus à reliliquis Vaticiniis, harum principalium partibus, in quibus nihil tale fieri videbis.

Sunt autem hæc, de quibus moneo, Prophetiarum initia, Viſionis quidem ſeptem Eccleſiarum, cap. 1. 10. his verbis; *Fui autem Spiritu correptus die Dominico, & audivi à tergo vocem magnam tanquam tubæ dicentis, &c.* Prophetiæ autem Sigillorum cap. 4. verſ. 1. hujuſmodi: *Et vox prima, quam audiveram tanquam Tubæ loquentis mecum, dicebat, &c.* Denique Prophetiæ Βιβλαριδίου, cap. 10. verſ. 8. *Et vox quam audîeram è Cælo* (ſcilicet tanquam Tubæ loquentis) *rurſus loquebatur mecum, & dixit, &c.* Hactenus Præloquium fuit, neque id ut ſpero à re quam agimus alienum. ſequuntur jam Synchroniſmi.

I

CARDO SYNCHRONISMORUM SEU SYNCHRONISMUS

SIGILLI SEPTIMI, QUOD AD PRIORES SEX TUBAS, CUM BESTIA DECEMCORNU PETA, BICORNI, CÆTERISQUE CONTEMPORANTIBUS.

Primò enim Initium Beſtiæ contemporat cum initio Sigilli ſeptimi, quod eſt Tubarum.

NEmpe, quum Cœtus Signatorum, tanquam Beſtiæ regnantis Ἀντίστοιχον, Beſtiæ idcirco juſtè & ad amuſſim contemporet; idémque Cœtus Signatorum ineat ineunte Sigillo ſeptimo, ſive Tubarum: ſequitur omnino Beſtiam itidem inire cum eodem Sigillo ſeptimo ſive Tubarum.

Jam verò Cœtum Signatorum Beſtiæ in ſolidum & ad amuſſim contemporare, oſtenſum eſt *Synch.4. Part.I.* Eundem Cœtum Signatorum inire cum Sigillo VII. liquet ex cap.7. ubi Signatio iſta ſexto Sigillo continenter ſubjungitur. Siquidem ſexti Sigilli Viſo tranſacto, cùm ſeptimum, quod Tubarum eſt, jam erat aperiendum, Electis Dei ſervis ſignaculo proſpicitur, nè à calamitatum procellis, quæ (jam quatuor Angelis, quatuor mundi cardinum præſidibus, ventos quos hucuſque retinuerant, ad Tubarum ſonitum laxaturis,) Orbi terrarum incubituræ eſſent, perderentur. quibus deinceps quoque cavetur ad quintæ Tubæ clangorem, cap.9. v.4. ut vel eo indicio agnoſcas, ſignationem iſtam ad Tubarum tempora pertinere. Eſſe verò finem & exitum Sigilli ſexti initium ſeptimi, extra omnem dubitationem

nem est; cùm Sigillorum ad invicem series interrumpi nec possit, nec debeat. Ergò Cœtum CXLIIII M Signatorum, qui Sigillum sextum transactum excipit, cum Sigillo septimo, quod eidem Sigillo sexto haud minùs continenter succedit, inire necesse est. Atque ità mirabili consilio (sic sentio) Spir. Sanct. per hujus Signationis characterem prospexit nobis de connexione ineuntis Bestiæ cum initio Sigilli VII: cùm alia ratio nulla reddi possit, cur hac Visione Signatorum cap. 7. interposita, turbaretur alioquin non interrumpenda Sigillorum series.

Secundò, Finis Bestiæ contemporat cum exitu Tubæ sextæ.

Nam quum Testium in sacco lugentium Dies 1260 finiantur ad exitum Tubæ VI, seu ineunte septimâ; ibidem quoque Bestiæ Menses 42 finiri necesse est, & per consequens Bestiæ tyrannidem intra sex primarum Tubarum ambitum contineri; ὅτις ἔδει δοῦξαι.

Bestiæ autem Menses XLII, perinde ut contemporanei eisdem Dies 1260 luctûs Testium, ad sextæ Tubæ exitum finiendos esse, jam suprà demonstratum est, *Part. I. Synch.* 1. § 3. ubi ex capite 11 ostenditur, cùm Testes post triduanam mortem ad vitam denuo suscitati, atque in cœlum subvecti, luctuosæ Prophetiæ suæ Dies compleviſſent; factóque *eâdem horâ*, seu tempore, *ingenti terræmotu*, Urbs magna ruinam passa esset, Bestiáq; truculentus Testium hostis, præ clade quam tunc sentiret, animam ageret: ut sciremus, ubi intervalli Sigillorum & Tubarum hoc accide-

acciderit, continuò ſubjunxiſſe Spirit. VÆ *ſecundum* (hoc eſt, Tubam VI) *jam tum abiiſſe*, & VÆ *tertium* (Tubam ſcilicet VII) *venturam citó*. Quem ego Characterem, alterum magni hujus Synchroniſmi indicem, vel eo præcipuè fine, iſtìc loci inſertum credo, ut alter quaſi cardinum eſſet, quibus magna iſta & univerſalis τῆς βιβλιαρχίας & Sigillorum Prophetiæ commiſſura verteretur. Siquidem alioquin & hoc monitum & qui protinus ſequitur clangor Tubæ VII, recto & naturali ordine ad finem Prophetiæ Sigillorum cap. 10. collocanda fuiſſent. Sed Spiritus S. ſeptimæ Tubæ myſterio eò loci, ad modum præconii, leviter tantùm, & quantum tunc ſatis videbatur, præſignato; (fore nimirum, ut *eâ clangente, myſterium Dei Prophetis evangelizatum conſummaretur*) ipſius clangoris editionem & myſterii definitionem diſertam aliquantiſper (nec id proculdubio niſi gravi aliqua de cauſa) ſuſtinere & protelare voluit: donec nimirum, ad novam βιβλιαρχίαν Prophetiam tranſitione factâ [cap. 10. à verſ. 8. ad finem] primam ejuſdem Viſionem, ſtadio Apocalyptico ſimiliter emenſo, ad eundem rerum exitum provexiſſet. Illud enim lector attentè admodum obſervet, velim; unâ hac capitis undecimi Viſione (Prophetiæ utpote repetitæ primâ) Spiritum ſapientiſſimum totum Sigillaris prophetiæ intervallum, ceu tramâ ſtamen, percurrere; eandémque ſeptimâ Tubâ, quaſi fibulâ quadam, ſeriei Sigillorum, temporis dirigendi causâ, ſubnectere. Quorſum autem, niſi ut primæ Viſioni ſic fixæ & cum Sigillis comparatæ per ſuos quoq; characteres connexis reliquis quæ ſequuntur βιβλιαρχίας vaticiniis, totum

tum repetitæ prophetiæ ſyſtema cum Sigillis dextrè componi poſſit?

Porrò, nè illud fortè cuiquam ſcrupulum injiciat, quòd ea quæ in textu referuntur, de Beſtiæ conſternatione, de ruina Urbis ſtragéque hominum à Terræmotu factâ, minimè videntur de omnimoda Beſtiæ abolitione intelligi debere: aio, neque hoc ad eum, de quo egimus, Synchroniſmum poſtulari, ſed ut accipiantur ſaltem de tempore poteſtatis & regni finiendo, quod menſibus XLII determinatur; quóſque, dato Beſtiæ & Teſtium Synchroniſmo, ſimul cum Teſtium Diebus exire neceſſe eſt. Quod verò adhuc aliquantiſper ſupererit Beſtiæ, id adeò (ut hinc colligi datur) diſſimili à priori ſpecie futurum eſt, ut eodem cenſu non ſit habendum; ſed &, haud ità multo pòſt, ſub ſeptima Tuba delendum & abolendum penitus; *Factis regnis hujus mundi Domini noſtri & Chriſti ejus.*

Atque ità Synchroniſmo hoc cardinali bene conſtituto, reliquos indè Synchroniſmos facilè deduci & cum Sigillis colligari poſſe, manifeſtum erit.

SYNCHRONISMUS II.

CONTEMPORANTIUM ATRII INTERIORIS ET PRÆLII DRACONIS ET MICHAELIS DE PUERPERIO CUM SEX PRIMIS SIGILLIS.

QUia ſunt proxima antecedanea Contemporantium ſuccedaneorum. Nam ſex prima Sigilla proxima

proxima ſunt antecedanea ſeptimi. Atrium Interius & dimicatio Michaelis cum Dracone proxima ſunt antecedanea Beſtiæ & Cœtûs CXLIIII M Signatorum. Jam verò Sigillum ſeptimum, ſeu (quod perinde eſt) ſex primæ Tubæ, Cœtus Signatorum & Beſtia ſunt contemporanea; ut oſtenſum eſt priori Synchroniſmo.

SYNCHRONISMUS III.

PHIALARUM CUM TUBA SEXTA.

SEptem Phialæ iræ noviſſimæ, cùm totidem ſint ruinæ & occaſûs Beſtiæ gradus [*Synch. VII. Part. I.*] proinde neceſſariò ineundæ ſunt ab initio ruentis & occidentis Beſtiæ. Beſtiæ autem Regnum, ſextâ Tubâ adhuc clangente, adeò labefactari cœpit, atque eò demum proceſſerat ruinæ, ut ad ejuſdem illius Tubæ exitum finiretur *poteſtas illa XLII Menſium, quibus ipſi datum fuit dominari, & Sanctos vincere* [*Synch. I.* hujus.] Atqui eò ruinæ & fatalium calamitatum priùs delabi Beſtia non potuit, quàm quinta ſaltem Phiala effunderetur. Nam tum demum Sedem ejus concutiendam, & Regnum *tenebroſum* redditum iri, apparet cap. 16. v. 10. Ergò quinque ad minimum Phialarum effunduntur, ante deſitum ſextæ Tubæ clangorem; credo quòd etiam ſexta: Phiala verò ſeptima, quæ conſummationis Phiala eſt [ibid. ver. 17, 18.] proinde concurret cum initio Tubæ ſeptimæ, quæ itidem conſummationis Tuba eſt, cap. 10. ver. 6.

SYNCHRONISMUS IIII.

MILLE ANNORUM LIGATI DRACONIS SEU SATANÆ, CUM TUBA SEPTIMA, SEU INTERVALLO AB EXCIDIO BESTIÆ.

UT hoc de Satanæ ligatione eò meliùs intelligatur; illud demonſtrationi præmittendum eſt: in textu dici, Satanam tunc inſuper, non tantùm *in Abyſſum conjectum*, ſed ibidem *occluſum eſſe, adhæc ſignâſſe ſuper eum Angelum, ut non ſeduceret ampliùs gentes, donec conſummarentur mille anni*: id eſt, firmiter muniiſſe, nè ullatenus pateret exitus. Nam mos erat Hebræis & vicinis gentibus, quando firmiter munitum & obſeratum volebant oſtium, ut ei ſigillum apponerent. Ità lapidem impoſitum foveæ Leonum, quò Daniel conjectus erat, *obſignavit Rex Darius annulo ſuo, & annulo procerum ſuorum*, Dan. 6. In hiſtoria Apocrypha miniſtri Danielis ædis Beli portas *claudunt & obſignant annulo Regis*. Similiter Judæi Matth. 27. 66. ſepulcrum Servatoris ἠσφαλίσαντο σφραγίσαντες τὸν λίθον μετὰ κυνοφυλάκων, *munierunt ſeu tutum reddebant, obſignato lapide, &c.* ubi obſervandum, ἀσφαλίζειν & σφραγίζειν ſeſe mutuò explicare. Longè igitur aliud eſt, *Cælo dejici*, cap. 12°. (quod adeò multi huic loco accommodant) aliud *ligari, abyſſo includi, obſignari*. Illud vagandi & nocendi licentiam non adimit; hoc de carcere ſuo nullâ ratione egredi patitur. Imò affirmare auſim, nihil prorſus eorum, quę referuntur capite viceſimo, in duodecimo comparere; neque viciſſim de eo quod capite 12° memoratur, ullum in viceſimo verbulum extare. tantum abeſt, ut idem utrobique repræſentetur. Examinemus pauliſper. Capite xx

quatuor

quatuor de Dracone referuntur: Primum, ab Angelo qui cœlo descendit apprehensum fuisse. 2. ligatum. 3. in Abyssum conjectum. 4. occlusum atque obsignatum fuisse. Horum verò nullum in duodecimo reperies. Vicissim quod unicum narratur, capite 12. de Draconis projectione de cœlo in terram, de eo in vicesimo nè γεν quidem habetur. Imò ex ipso contextù apertè colligere est, illud nequaquam tunc factum esse. Dicitur enim ibi, Angelum qui Draconem ligatum veniebat, *cælo descendisse*: ergò Draco jam tum super terram fuit. Quorsum enim alioquin Angelus cœlo descendisset eundem apprehensum? Hinc cap. 12. Michael cœlo non descendit, sed in ipso cœlo cum Diabolo manum conseruit. His ità præmissis, ad Synchronismi ἀνάδειξιν veniamus.

Arg. 1. Sub primis sex Sigillis Draco seu Satanas liber fuit & solutus; itémq; sub primis sex Tubis Sigilli septimi: ergò restat, ut Mille anni ligati Satanæ conjiciantur in Tubam septimam.

Non enim fuisse ligatum Satanam sive Draconem, primis sex Sigillis vicem suam adhuc decurrentibus, ex eo liquet, quòd omni istoc intervallo, septem capitibus & diadematis rubens, in cœlo dimicavit cum Michaele de puerperio Mulieris, ut modò demonstratum fuit *Synch. II.*

Sed neque primis sex Tubis sequentis Sigilli id factum est: Nam hoc est Intervallum Mulieris in Eremo, & dominantis Bestiæ Decemcornupetæ, ut constat ex *Synch. I.* hujus. Sanè, Muliere in Eremo agente, multum abfuit ut ligatus putaretur Draco; qui à Michaele de cœlo præcipitatus, primò eam

abiturientem eluvione aquarum, *quam ex ore ſuo ejecerat*, peſſundare conabatur: deinde, cùm hoc ei ex ſententia non ſucceſſerit (terrâ flumen abſorbente & Muliere jam in Eremum receptâ;) *Irâ & furore accenſus, abiit ad gerendum bellum cum reliquis ex ſemine ejus, obſervantibus præcepta Dei, & habentibus teſtimonium Jeſu*, cap.12.ver.13,15,17. Nunquid hæc ſunt ligati Satanæ indicia?

Sed de Beſtia quoque videamus; & quàm fuit ſub ejus Regno Draco vinctus, audi: Scilicet, *Dedit ei Draco virtutem ſuam, & thronum ſuum, & poteſtatem magnam, & admirans univerſa terra ſequuta eſt Beſtiam, & adorârunt Draconem qui dedit poteſtatem Beſtiæ*, [c.13.v.2,3,4.] At potuit forſan hæc omnia ex carcere ſuo agere Satanas? Certè occluſo & obſignato non potuit. Sed ut nullus ſit tergiverſationi locus, & liquidò appareat, quàm adhuc fuit Draco ad ea ipſa facinora liber & ſolutus, à quibus, in cuſtodiam ſemel datus, coercendus dicitur, en alterum ejus Alumnum Pſeudoprophetã, Decemcornupetæ comitem individuum & Beſtialis poteſtatis Adminiſtratorem, de quo exſertè ſcriptum habes, *Quòd edat ſigna magna, quódque ſeducat Incolas Terræ per ſigna quæ datum eſt ei facere*. Ecquis jam facilè credet, Beſtiis iſtis rerum potiuntibus, Draconem, hoc eſt, Satanam *fuiſſe vinctum, fuiſſe in Abyſſum conjectum, & obſignatum ſuper eum, ut non ſeduceret gentes amplius*? juxta cap.20. ver.2,3.

Quinetiam ex ipſis Tubis (de medio ſaltem tempore) liberi & ſoluti Diaboli non deeſt argumentum. Quid enim? Annon Rex ille Locuſtarum Tubæ quintæ, qui *Angelus Abyſſi* cluet, cui nomen

men Hebraicè *Abaddon*, Græcè vero Ἀπολλύων, quémque τὸν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ πεπτωκότα, *eum qui è cœlo jampridem ceciderat in terram*, Joannes indigitat, ipsissimus est Draco & Satanas, quem Michael, nondum clangentibus Tubis, de cœlo in terram deturbaverat? Neque enim in tota Apocalypsi de alio præter ipsum legi memini, *in terram cecidisse*; neque scio an in alium quenquam nisi in istum competere possint elogia illa *Angeli Abyssi & Abaddonis*. Utut sit, certè non fuit tunc temporis *ligatus Satanas*, non *puteus Abyssi* (ut inibi dicitur) *super eum occlusus & obsignatus*; sed (ut videre est c.9.2.) *apertus*, idque adeò, *ut fumus indè ascenderit, ut fumus fornacis magnæ, & obscuratus est Sol & Aer à fumo ejus*.

Denique, quin hæc Draconis seu Satanæ in seducendis Gentibus libertas, ad ipsum usque Bestiæ excidium perseverârit, ac proinde fuerit sex primis Tubis omnino coæva, eum dubitare neutiquam posse puto, qui satìs attenderit, quid ab Effusione Phialæ sextæ factum legatur: Quòd nimirum, septimâ, hoc est, novissimâ mox effundendâ, atque ideo supremo Bestiæ fato jam tum instante, *Ex ore Draconis* atque Vicariorum ejus *Bestiæ & Pseudoprophetæ, tres Spiritus impuri, Spiritus dæmoniorum edentes signa abierint ad Reges terræ & totius mundi, congregatum eos ad prælium magni illius Diei Dei omnipotentis*, cap. 16. 13, 14.

Ità Mille Anni ligati Satanæ, ut Gentes ampliùs non seduceret, neque sub primis sex Sigillis, neque sub primis sex Tubis locum habere possunt: Ergò relinquendi sunt Tubæ septimæ.

*Arg.*2. Posteaquam, Mille Annis absolutis, Sa-

tan de carcere ſuo ad breve tempus ſolutus, novos motus concitâſſet; igne cœlitus delapſo conſumptâ, quam collegerat, deceptarum gentium colluvie, ipſe Planus captus & comprehenſus *mitti* dicitur *in ſtagnum ignis & ſulphuris*, ὅπου καὶ τὸ θηρίον καὶ ὁ ψευδοπροφήτης, *ubi erat & Beſtia & Pſeudopropheta*. Adverte hîc, Lector, characterem chronicum; quo innuitur hoc quicquid eſt, de Satana poſt iteratam ſolutionem capto & damnato, id ſuperioris capitis Viſioni de Beſtia & Pſeudopropheta, ab eo qui equo albo inſidebat, debellatis, captis, & perinde *in ſtagnum ignis ardens ſulphure conjectis*, ut narrandi ordine, ità quoque tempore rei geſtæ ſuccedere. Non enim alioquin dictum foret, eò miſſum eſſe Satanam, *ubi erat & Beſtia & Pſeudopropheta*, niſi eò jam antè & Beſtia & Pſeudopropheta miſſi fuiſſent.

Nec cordatus aliquis ad effugium dixerit, hoc capitis xx poſt Mille annos Bellum, non eſſe ab illo ſuperioris capitis diverſum, cùm non tantùm jam allatus character, ſed & omnes utrinque circumſtantiæ refragentur, partes, pugna, & modus cædis, illîc gladio, hîc igne; imò & diſſimilis, ut mox re demonſtratâ pateſcet, Belli utriuſque eventus, illîc Satanę ad tempus duntaxat ligatio, hîc verò damnatio ad ignem æternum.

Bellum igitur, quo Beſtia & Pſeudopropheta capti mittuntur in ſtagnum ignis, quandoquidem diverſum ſit ab hoc noviſſimo, ad quod, eodèm tandem ſtagni mittendus Satanas, ſtatim à ſolutione ſua Gentes concitâſſet; aut intra ipſos Mille annos geſtum fuiſſe neceſſe eſt, aut illis nondum inchoatis. Intra Mille annos geri non potuit, quia tamdiu Satan

tan *vinctus fuisse* dicitur *& occlusus in Abysso, ut Gentes non seduceret amplius, donec Mille anni consummarentur*, cap. 20. vers. 3. At in Bello, quo de Bestia, Pseudopropheta & Sociis tandem triumphatum est, si unquam aliàs, liberrimus & solutissimus fuit ad decipiendum, ut ex iis constat, quæ modò ex capite 16, de hujus Belli apparatu allegavimus; quòd nempe ab effusione Phialæ sextæ, cùm jam septima, quâ Bestia penitus conficitur, in propinquo esset ut effunderetur; *Ex ore Draconis, ex ore Bestiæ, & Pseudopropheta, tres Spiritus impuri, Spiritus dæmoniorum edentes signa abierint ad Reges terræ & totius mundi, congregatum eos ad Prælium magni illius Dei Dei omnipotentis.*

Quoniam ergò Mille annorum ratio hujusmodi turbas & motus Satanicos nequaquam admittit: necesse est, ut Bellum hoc Bestiale eosdem tempore præcesserit. Atque ità demum Mille anni alligati Satanæ contemporabunt Intervallo ab excidio Bestiæ; quod erat demonstrandum.

Arg. 3. Deniq; cùm per eosdem Mille annos quibus Satan in custodia detinetur, Christus cum suis Regnum illud augustum & magnificum regnâsse dicatur; proinde eisdem argumentis & notis, quibus alterutrius Synchronismus stabilitur, confirmabitur & alterius. Quòd igitur Regnum illud Christi augustum cum septima Tuba ineat, seu ab excidio Bestiæ, jam est, ut ostendamus.

Syn-

SYNCHRONISMUS V.

MILLE ANNORUM REGNI CHRISTI AUGUSTI, ET SEPTIMÆ TUBÆ SEU INTERVALLI AB EXCIDIO BESTIÆ.

1. REgnum Christi singulare & augustum, iterum & sæpius in Apocalypsi memoratum, déque cujus adventu Chorus Animalium & Presbyterorum ovantium hymnos & doxologias Deo concinere solent, ubique succedit Bestiæ & Babyloni devictis & triumphatis. Primò enim illîc ubi de hoc Mille Annorum Regno propriè agitur c.xx. ex numero eorum qui cum Christo regnant, sunt *Qui Bestiam non adoraverant neque Imaginem ejus, neque acceperant Characterem ejus in frontibus suis aut in manibus suis.* Annon hæc verba satìs indicant, hoc Christi Regnum Regno Bestiæ, Imagini & stigmaticis ejus successisse? Quorsum enim illis Regni filiis hoc elogium tribueretur, quòd *Bestiam non adoraverant, &c.* nisi Bestia jam præcessisset? Sanè enim benemeritum remunerationem & præmium tempore antecedit. Jam verò Regnum istoc (prout series narrationis indicat) Sanctis, ut fidei suæ & constantiæ præmium, tribuitur; ídque causâ eorum priùs in solenni Judicio cognitâ; cujus utpote consessus iis verbis describitur: *Et vidi thronos, & sederunt super eos, & judicium datum est illis*, id est, *potestas judicandi facta, &c.* Ergò tempus quo Sancti, Bestiâ rerum potiunte, fidem & constantiam suam Deo approbârunt, Judicium antecessit; remuneratio decretum tum factum sequitur.

2. Idem porrò adhuc magìs apparet ex Pæane Presbyterorum & Animalium cantato ad excidium Babylo-

Babylonis, cap. 19. 6. Ἀλληλούια ὅτι ἐβασίλευσε Κύριος ὁ Θεὸς ὁ παντοκράτωρ, verſ. 7. *Gaudeamus & exultemus & demus gloriam ei, quia venerunt Nuptiæ Agni, & Uxor ejus præparavit ſeipſam.* Nam quin idem ſit utrobique Regnum nullus dubito.

3. Sed omnium clariſſimè ex cap. 11. verſ. 15, 16. &c. ubi ad ſeptimæ Tubæ clangorem, Teſtium diebus, Beſtiæq́; & Gentium menſibus decurſis, in cœlo acclamatum eſt, *Facta ſunt Regna hujus mundi Domini Noſtri & Chriſti ejus, & regnabit in ſecula ſeculorum. Et viginti quatuor Seniores in conſpectu Dei ſedentes in thronis ſuis, ceciderunt in facies ſuas, & adoraverunt Deum, dicentes, Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotens, qui es, qui eras, & qui venturus es; quia accepiſti potentiam tuam magnã, & regnum inieris*

Hæc eſt illa *conſummatio Myſterii Dei per Prophetas evangelizati,* quam ſub ſeptimæ Tubæ clangorem Angelus ſuprà, cap. 10. futuram prædixerat; quando nec Beſtiæ Menſes, nec Teſtium lugentium Dies, neque omnino aliquid de Periodo *temporis, temporum, & dimidii temporis* ſupererit ampliùs, ver. 6, 7. Planè juxta quod Danieli prædictum fuit, cap. 7. ver. 25, 26, 27. & antè, de Dominatu Chriſti Oecumenico, ſeu Regno Sanctorum poſt eadem Tempora, eundémque prorſus Judicii conſeſſum, futuro. Item quod cap. 12. verſ. 7. ubi idem, qui hîc apud Joannem, Angelus, eodem certè geſtu, ritu, iiſdémq; ferè (quod ſummè notandum eſt) jurisjurandi verbis aſſeverâſſe legitur, Finito demum intervallo iſto *Temporis, Temporum, & dimidii* **Temporis*, *diſperſionem Populi ſancti*, cúmq; ea ſimul *Noviſſimum* illud mirabilium conſummatum iri.

* Annon hæc ſunt *tempora* illa *gentium* Luc. 21. 24?

Qui ulteriorem confirmationem hîc deſiderat, etiam ſuperioris Synchroniſmi characteres adhibeat: nam mutuas, ut dixi, præſtant operas.

SYNCHRONISMUS VI.

NOVÆ JERUSALEM AGNI SPONSÆ CUM SEPTIMA TUBA SEU INTERVALLO AB EXCIDIO BESTIÆ.

1. NUptiæ Agni & Regnum illud auguſtum Domini Dei omnipotentis, ambo ineunt ab excidio Babylonis, unde init Tuba ſeptima. conſtat ex Hymno Presbyterorum & Animalium, quem in ſuperiori Synchroniſmo laudavimus, ex cap. 19. v. 6,7. *Halleluia, quoniam regnum iniit Dominus Deus noſter omnipotens. Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt Nuptiæ Agni, & Uxor ejus præparavit ſeipſam.* At *Nova Jeruſalem* eſt *Sponſa illa Agni, ornata & parata viro ſuo*, cap. 21. v. 2. *Et civitatem ſanctam* (inquit) *Novam Jeruſalem vidi deſcendentem à Deo de cœlo, ſicut Sponſam ornatam viro ſuo:* & ver. 9. *Veni, & oſtendam tibi Sponſam Uxorem Agni, &c.* Ergò & illa inibit & contemporabit Tubæ ſeptimæ.

2. Nova Jeruſalem eſt *Civitas dilecta*; at dilecta illa Civitas, ſtatim atque finiuntur Mille anni, à noviſſimis illis Satanæ tunc laxati copiis circumvallari dicitur, cap. 20. v. 8. *Et circuierunt Caſtra Sanctorum & Civitatem dilectam:* ergò, jam antè extitiſſe eam oportuit, dum adhuc Satan ligabatur. Hiſce duobus argumentis, ſive confirmandis, ſive illuſtrandis & ornandis, duo alia viſum eſt adjungere.

3. Effu-

3. Effusâ Phialâ ſeptimâ, quâ prorſus conficitur & aboletur Beſtia, *prodiit vox magna è Throno dicens* ΓΕΡΟΝΕ; cap. 16. ver. 17. Itidem, *Is qui inſidebat Throno dicit Joanni* ſpectanti Novam Jeruſalem è cœlo deſcendentem, [cap. 21. v. 5, 6.] *Ecce nova facio omnia* ΓΕΡΟΝΕ— *Ego ſum* Α *&* Ω, *Initium & Finis*: ergò Nova Jeruſalem Agni Sponſa init ab ultimo termino Phialarum ΓΕΡΟΝΕ, jam extinctâ Meretrice; atque ità contemporat Intervallo ab Excidio Beſtiæ.

4. Unus ex Angelis Phialarum [cap. 17.] oſtendit Joanni judicium Meretricis, utpote dum Phialæ effunduntur, & ab illarum ſaltem unâ, peragendum. idémq; Phialarum Angelus [cap. 21. v. 10.] monſtrat eidem Joanni *Sponſam Agni Civitatem magnam ſanctam Jeruſalem*; utpote Phialis iam defunctis, hoc eſt, Beſtiâ Babylonéq; extinctis, conſpicuam futuram.

SYNCHRONISMUS VII.

TURBÆ PALMIFERÆ INNUMERABILIUM OVANTIUM EX OMNIBUS GENTIBUS, TRIBUBUS, POPULIS, ET LINGUIS, Cap. 7. v. 9. CUM TUBA SEPTIMA SEU INTERVALLO AB EXCIDIO BESTIÆ.

1. TUrba Palmifera proximè ſuccedit Cœtui CXLIIII M Signatorum: Cœtus autem iſte (ex oppoſita Beſtiæ cui contemporavit, ut ratione ſic durationè metiendus) cum Beſtia quoq; periodum ſuam complevit [*Synch. IIII. Part. I.*] Ergò Turba Palmifera utrumque conſequitur; ac proinde cadet in Tubam ſeptimam, quod eſt Intervallum ab excidio Beſtiæ.

2. Turba Palmifera ſunt cives Novę Jeruſalem. de ambobus enim dicitur, quòd *non eſurient, neque ſitient amplius, &c.* quòd *Agnus paſcet eos, & ducet eos ad vivos fontes aquarum*; quódque *abſterſurus ſit Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* Jam Nova Jeruſalem contemporavit Tubæ ſeptimæ; ergò & Turba palmifera.

EPOCHA APOCALYPSEOS.

EPocha Apocalypſeos, quà de futuris vaticinium eſt, ſive eam initio Chriſtianiſmi ſtatueris, ſive in Excidio Politiæ & Eccleſiæ Judaicæ, ſive in eo temporis momento quo Revelatio Joanni facta eſt, ſeu quomodocunq; ſtatuatur (nolo enim Interpretem agere, inſtituti mei memor;) quin indè Sigillorum, quod ad res inibi gerendas, initium deducendum ſit, dubitaturum arbitror neminem. Sed & ab eadem Epocha arceſſendum eſſe ſecundæ quoq; Prophetiæ ſeu βιβλαριδίου initium, ſi cui ipſa contextûs verba de Prophetia repetenda, & quæ præterea diſſeruimus ſuprà, ad *Synch. VI. Part. I.* & in veſtibulo *Part. II.* non ſatis perſuaſerint; is vel Synchroniſmi neceſſitate eò tandem adigetur, ſi, juxta jam factas ἀποδείξεις, ſingulas prophetias ordine & loco ſuo diſponere tentaverit.

CLAUSULA SYNCHRONISMORUM ET APOCALYPSEOS

MIlle annos Regni & damnationem Satanæ excipit Univerſalis reſurrectio mortuorum, & Judi-


SEPTEM
SIGIL
INCIPIT PROPHETIA PRIOR sive
EPOCHA SIVE CAPUT
APOCALYPSEOS
VICTORIA
CÆDES
STATERA
MORS
ALTARE
TERRÆMOTO
SEX PRIMA SIGILLA
I II III IV V VI
Grando labe-Terram facit
Mens ardens Mare
Stella labens Fluminis
Eclipsis Luminum
TUBA I
TUBA II
TUBA III
TUBA IV
UÆ.I.
LOCUSTÆ
TUBA V
COETUS CXLIIII.M. Servorum Dei ex omnibus Tribubus Israelis muniuntur
Atrium Templi & Altaris ἐμμετρον
Draco Septiceps Cum Michaele belligerat de puerperio
Atrium exterius (siue Ciuitas Sancta) ἀσύμμετρον quippe á Gentibus calcatum Menses XLII
DUO TESTES Dei, á Bestia tandem morte multandi, prophetant amicti Saccis Dies MCC
MULIER Puerpera, projecto Dracone, evadit in Desertum, ibi alenda Dies MCCLX, seu per temp
BESTIA Septiceps decemcornupeta, post plagam lethalem renata sub vice capitis nouissimi blasphemat vinc
BESTIA Bicornis siue Pseudopropheta, Bestiæ Decemcornupetæ conditor, potestatem eius omnem admin
COETUS VIRGINEUS CXLIIII M Signatorum AGNI (quibus unis canticum novum canere datum est) Bestiæ
URBS illa magna BABYLON Meretrix insidet BESTIÆ Septicipiti, jam in vice capitis nouissimi Decemcorn
INCIPIT PROPHETIA POSTERIOR sive
Inspectori S
Quisquis es, qui Typum hunc Apocalypticum contemplari dignaberis; scito, Arcus peripheriarum eodem initio et fine concurrentes, vaticinia contemporantia tibi exhibere: In oppositis vero binarum Prophetiarum (SIGILLORUM nempe & ΒΙΒΛΑΡΙΔΩΝ)
ΒΙΒΛΑΡΙΔ
ἀνεῳγμε

M SIGILLA

ILLUM SEPTIMUM

COMPLECTENS

SEPTEM
TUBAS



PIΔION
ημενον

Partibus idipsum indicari terminis linearum et peripheriarum ex opposito respondentibus. Quæ deniq; visionum cui antecedat, succedatve: ex ordine, a sinistra dextram versus progrediendo, tibi speculandum.

Applicetur pag 33 Clavis Apoc.

Judicium ultimum cum Gehenna, c. 20. à v. 11. ad fin.

Novam Jeruſalem deſcriptam c. 21. excipit Paradiſus, quam ſcilicet, Edenis inſtar, hinc atq; hinc ambit Fluvius, in medio habentem Arborem vitæ. ſic enim capio verba cap. 22. 2. Ἐν μέσῳ τῆς πλατείας αὐτῆς καὶ τοῦ ποταμοῦ, ἐνθεν καὶ ἐνθεν, ξύλον ζωῆς. Atque hic finis Seculi & Apocalypſeos.

QUod ſupereſt, Lector; en tibi Ordinem & Seriem juxta res gerendas omnium in Apocalypſi Vaticiniorum, in iſtoc Schemate ad oculum delineatam, & uno intuitu ſpectandam: quod ad amuſſim Synchroniſmorum jam demonſtratorum, in meum, & (ſi patiaris) in tuum conſtruxi uſum. Retegat Deus oculos mentis utriuſq; noſtrûm, ut intueamur mirabilia ejus. *AMEN.*

COROLLARIUM DE USU CLAVIS.

1. EX jam dictis conſtare arbitror, Apocalypſin juxta literam tantummodo ſpectatam, ac ſi nuda quædam eſſet rerum geſtarum Hiſtoria, non item Vaticinium myſticis allegoriis & typis involutum; ſignis tamen & characteribus ejuſmodi à Spiritu San. per totam narrationem inſertis inſtructam eſſe, ut indè legitima Viſionum omnium, juxta res ſuo quaſq; tempore gerendas, Series, Ordo, Synchroniſmi, erui, componi, & demonſtrari poſſint, abſque Interpretationis ullius datæ hypotheſi aut adminiculo.

2. Tum præterea, prout in Hiſtoriis fieri conſuevit, ut res plures diverſæq; à pluribus & diverſis ſimul eodémq; tempore geſtæ, ſimul tamen narrari nequeant, ſed ſeorſim & deinceps: ità quoq; in Prophetiis iſtis & Viſionibus rerum gerendarum (utut ordine longè commodiſſimo ſapientiſſimóq; patefactis) uſuvenire: ut omnino fruſtra ſint, qui Apocalypſin ità interpretatum eunt, quaſi eventus eodem ubique ordine & ſerie ſibi invicem ſuccederent, quo Viſiones.

3. Viſionum enimvero Apocalypticarum mentem feliciter indagaturo, principiò earum ad ſe invicem juxta res gerendas Series & Connexio, ex memoratis characteribus & notis perveſtigata, atq; intrinſecis argumentis demonſtrata, conſtituenda eſt tanquam omnis ſolidæ & legitimæ interpretationis baſis & fundamentum. Non enim (quod à plurimis perperam factum cernimus) ad Interpretantis arbitrium, pro qualicunq; interpretationis concinnitate, Ordo ipſe conformandus eſt; ſed ad jam præſtructam, per Synchroniſmorum characteres, Ordinis hujus chronici Ideam, omnis interpretatio, quaſi ad normam & perpendiculum, exigenda.

4. Abſq; hujuſmodi enim fundamento, vix eſt, ut ex Apocalypſi quidquam eruas, quod interpretationis & applicationis ſuæ ſolidè fidem faciat, quódque authoritate divinâ, ſed mendicatis principiis & puris putis conjecturis nitatur humanis. Contrà verò admiſſo, cùm jam temporis ordiniſq; ſepta, licenter & pro libitu vagari Applicationem non permiſerint; illico tot variantium, imò & pugnantium interpretamentorum multivia maximam partem

partem ſublata miraberis; paucis omninò, in quibus adhuc mens, de generali ſaltem applicatione, anceps hæreat, iiſque minoris ferè momenti differentiis relictis: Adeò ut ex hoc libro deinceps, perinde atq; ex reliquis Novi Teſtamenti libris, argumenta peti poſſint, in re etiam Prophetica, de interpretamento ſecura, quibúſq; tanquam Spir. San. oraculis, non humani duntaxat ingenii inventis, fides acquieſcat.

5. Talem tibi, Lector, Clavem, imò Compaſſum, ſi fortè mavis, Apocalypticum, pro ea quam mihi indigno peccatori Deus bonus & benignus in hiſce myſteriis indulſit intelligentiæ menſuram, in iſtis Synchroniſmis pro virili demonſtro, & adjuncto Schemate, brevi facilíque compendio, ſpectandam propono. In quo (nè uſum ejus adhuc fortè ignores) ſi modò de præcipui alicujus Vaticinii ſenſu, ejúſque temporibus impletis, ſemel tibi conſtiterit; methodum deinceps ſignatam habes, quâ, ex Synchroniſmorum atque Ordinis filo, reliquarum Viſionum mentem perveſtigare, imò & demonſtrare poteris. *Siquidem, quæ iſti tuo Vaticinio jam, ut dixi, cognito, cætera contemporaverint Vaticinia; iiſdem proculdubio temporibus ſunt applicanda, quæ autem præcedunt, non niſi de præcedaneis; quæ ſuccedunt, pariter de ſuccedaneis eventibus ſunt interpretanda.*

6. Et nè fortè dubites, an uſquam in Apocalypſi ex omnibus illîc Viſionibus ullam reperire ſit ejuſmodi, in qua, eo quo dixi modo, pedem tutò figas, undéque, tanquam ex Statione aliqua aut Specula, reliquam dimetiaris Apocalypſin: ecce huic quoq; rei à Spir. Sancto ſapientiſſimo conſilio proſpectum, *Illuſtri illa Viſione de magna* MERETRICE, quam nimi-

nimirum unicam & ſolam omnium Viſionum Angelus præter morem ſuum interpretatur Joanni. quorſum autem, niſi ut per eam ad reliquas, alioquin inacceſſas, tanquam per januam, aperiatur aditus? Quid vis ampliùs! Hàc igitur, invocato Patre luminum, intrato; ingreſſus, ad cætera reſeranda Clavem adhibeto. Experire, expertus fateberis, admirabilem eſſe hanc Prophetiam, quâcum, re penitiùs introſpectâ, nulla Veteris Teſtamenti (ſic decuit Evangelium) nè quidem ipſius Danielis, aut ſingulari patefactionis artificio, aut interpretationis, viâ & ratione eruendæ, certitudine ſit conferenda.

Id extremum te volo, Lector qui in hæc incideris, ut ſi mihi *aſſidenti quid* fortè *revelatum eſſe* perſpexeris, aut tibi ipſi, aut aliis ad hæc myſteria profuturum: id totum Dei in me miſericordiæ acceptum referas; cui & ego, ob tantillum ſapientiæ ejus radiolum, grates perſolvere nunquam deſinam: ſin quid aberratum ſit, id ſolum meum eſſe memineris, hominis quantillarum virium, & nullatenus ad hæc (quod probè mihi conſcius ſum) ex meipſo idonei.

Benedictio, honor, & gloria
EI
qui inſidet Throno, &
AGNO,
in ſecula ſeculorum.

IN

IN

SANCTI JOANNIS APOCALYPSIN COMMENTARIUS.

AD AMUSSIM CLAVIS APOCALYPTICÆ.

Nunc primùm, idque imperfectus adhuc, ad nonnullorum instantiam, typis editus.

APOCAL. 6. 2.
Exivit vincens & ut vinceret.

Cap. 1. 7.
Ecce, venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, etiam qui eum transfixerunt.

CANTABRIGIÆ,
Apud THOM. BUCK celeberrimæ Academiæ Typographum. *Ann. Dom.* 1632.

745.97

LECTORI BENEVOLO
Salutem.

ANNUS *jam quintus agitur, Lector benevole, cùm* CLAVEM *meam* APOCALYPTICAM *primitus typis dederim; ſed propriis impenſis, inque amicorum ſolummodo gratiam. Nihil tum cogitabam de interpretatione adornanda; utpote cui me, tot ab eruditione præſidiis, quæ ad eam rem requiri videbantur, deſtitutum, planè imparem fore exiſtimavi, neque etiamnum parem puto. Sed cùm opuſculum illud pluribus quàm ſperaverim, placuiſſe intelligerem; nonnullique inſtarent, ut ipſe, juxta methodum in* CLAVE *mea monſtratam, quæ quibus eventis, rebúſque geſtis vaticinia applicandà eſſent, manuductionis vice indicare vellem: illis morem geſturus, ſententiam meam breviter in chartas conjeci; quódque indè natum fuit,* SPECIMINA INTERPRETATIONUM APOCALYPTICARUM *indigitavi. Hoc cùm multis lectum & deſcriptum, necnon eo favore ſuſceptum comperi, ut induſtriæ meæ qualiſcunque pœnitendi cauſam non haberem: animos tandem mihi fecit, textum Apocalypticum* κατὰ μέθοδον *interpretandi. In hoc incœpto, cùm aliquouſque progreſſus eſſem, & prout quodque perfeceram, amicis legendum tranſmiſiſſem; factum eſt, ut Commentationes meas, immaturas adhuc, necdum ad umbilicum perductas, in publicum protruſerit nimia quorundam importuni-*

portunitas; qui utrùm judicio ſuo, an curioſitati potiùs hac in re indulſerint, equidem neſcio. illud tamen verè teſtari poſſum, admodum moleſtum mihi accidiſſe, à concepta in contrarium ſententia dimoveri, quodque ipſe non probâram, id aliorum voluntati gratificari; nedum ut ambitio ulla aut gloriolæ ſtudium me huc impulerit. non quòd aliis inviderem, ſi quid fortè eruiſſem, quo myſticæ illius Scripturæ ſtudioſi (quos beatos pronuntiat Sp. S.) juvari poſſint; ſed quòd meliùs fore ſtatuiſſem, privatâ communicatione contentum delitescere, quàm publicâ editione, tot variantia hominum judicia, tot præjudiciis partiúmque ſtudiis agitata, cum meo periculo experiri. Hoc te monitum velim.

Alterum eſt, quod te rogem: ut (quoniam minimè tibi ignotum ſit, in quàm lubrico verſer argumento, quámq; ad vanitatem, temeritatémque prono) nè ſingula rigidâ nimis cenſurâ æſtimes: illud pro certo habens, niſi in hiſce talibus liberiùs paulò ſentiendi, imò & errandi venia concedatur, ad profunda illa, & latentia veritatis adyta viam nunquam patefactum iri. Sicubi autem à communi ſententia nimiùm fortaſſe tibi divertiſſe videbor: ibi rem totam ad Eccleſiæ Catholicæ reformatæ, & virorum in ea doctorum tribunal defero; quódque ab illis maturè excuſſum erroris deprehenſum fuerit, à me neque dictum, neque ſcriptum ampliùs haberi velle ſcito. Patronum operi meo neminem delegi; neque enim ſcio, an Patrono dignum ſit. Tu Lector, ejus defectum ſupplebis, ſi te, prout ſpero, candidum & benignum cenſorem præbueris. Quod quidem, ſi bonus es, vel hac benevolentiæ tuæ fiduciâ promeritus videbor. Valc. E Collegio Chriſti Cantabrigiæ, Menſe Julio, Anno MDCXXXII.

COMMENTATIONUM APOCALYPTICARUM AD AMUSSIM CLAVIS APOCALYPTICÆ

Pars prima in Prophetiam primam, quæ Sigillis & Tubis continetur; præmisso

De Theatro Apocalyptico.

VISIONUM Apocalypticarum mentem indagaturo, primùm de Theatro illo cœlesti, quò Joannes eas, tanquam in Scena, spectaturus evocatur: deinde de ipsis singillatim Vaticiniis, ad Clavem Apocalypticam examinatis, mihi agendum est.

Christe Dei Sapientia, cui *Apocalypsis à Patre data est, ut indicares servis tuis res futuras*; illumina jubare tuo mentem meam, immunditiem sanguine deterge. Da, Te favente, Spiritúque duce, abdita hæc mysteria perlustrem, aliisque pandam. Apoc. 1.

THEATRUM Apocalypticum voco Consessum istum augustum Dei Ecclesiæque capite 4 descriptum, atque ad priscæ illius in deserto cum Israele castrametationis * typum ad amussim conformatum: * Num. 1. ver. 52. indéq; ad finem cap. 2.

tum: id quod utriuſque ordinem inter ſe conferenti oppidò erit manifeſtum.

Siquidem in medio caſtrorum Iſraelis collocatum fuit Tabernaculum, ceu Thronus Dei. In circuitu Tabernaculi, proximè caſtra metabantur Levitæ. Poſt Levitas demum, ad quatuor cœli plagas, reliquus cœtus Iſraelis in quatuor Vexilla tributus; ternis nimirum tribubus ſub uno Vexillo miſſis, atque à primaria cohortis ſuæ tribu nomen ſortitis. Unumquodque autem Vexillum ſignum præferebat. cujus etiamſi Moſes generatim tantùm meminit, nec, quæ cuique Vexillo inſcripta eſſet effigies, omnino exprimit: Hebræi tamen ex vetuſta Majorum traditione, (hac parte non temerè aſpernandi) rem intergrè deſcriptum eunt in hunc modum:

Ad Orientem erat Vexillum Judæ cum ſociis tribubus, ſigno LEONIS.

Ad Occidentem Vexillum Ephraimi, ſigno BOVIS.

Ad Auſtrum Vexillum Reubenis, ſigno HOMINIS.

Ad Septentrionem Danis, ſigno AQUILÆ.

Aben Ezra ad 2. Num. קרמוניו אמרו *Majores noſtri dixerunt, quòd in Reubenis vexillo fuit figura Hominis, propter inventas* (inquit ille) *mandragoras* (ſed hoc ineptum eſt.) *In vexillo Judæ figura Leonis, quoniam ei Jacob ipſum aſſimilavit. In vexillo Ephraimi figura Bovis; juxta quod dicitur, primogenitus Bovis. Denique in vexillo Danis figura Aquilæ.* Eadem hîc habet bar Nachman, & Chazkuni ad cap. 3.

Quamobrem verò horum Animalium effigies reliquis in hunc uſum prælatæ fuerint, ſi quis fortè curioſiùs

tioſiùs quærit; præter eam quæ ex Judæ & Ephraimi ſaltem benedictionibus haud ineptè peti ſoleat, iſtiuſmodi rationem Talmudici innuere videntur. *Quatuor*, inquiunt, *ſunt ſuperbi (vel qui emineant) in mundo*; LEO *inter Feras*, BOS *inter Jumenta*, AQUILA *inter Volucres*, & HOMO *cui Deus ſupra omnes pulchritudinem largitus eſt, ut omnibus imperaret.* Schindler. pag. 266. d.

Ut ut de ratione ſit, firmari poteſt hæc Judæorum traditio ex quadruplici Cherubinorum facie (cave enim tot capita imagineris) apud Ezechielem; quibus nempe ſignificatum eſt, qui iiſdem vehebatur, Dominum fuiſſe & Regem quatuor cohortum, ſeu caſtrorum Iſraelis. Quemadmodum enim Principum quadrigæ dominorum ſuorum fulgent inſignibus; ità hîc Cherubini ſignis JEHOVÆ Regis Tetrarchiarum Iſraelis. Neque difficile admodum fuerit, ex Ezechielis & Cherubinorum ad invicem in iſtac viſione poſitu, quam quæque Cherubinorum facies mundi plagam reſpexiſſet, colligere. Quippe cùm Ezechiel, *converſo ad ſeptentrionem vultu, Cherubinos, quaſi obviàm ſibi prodeuntes conſpiceret: certè quæ tum ei è regione obverſabatur, anterior erat & directa Cherubinorum facies, nimirum HOMINIS; eóque Hominis facies Auſtrum ſpectabat. Unde ſequitur, quæ eidem Ezechieli *ad dextram fuiſſe dicitur, facies LEONIS, Orientem; quæq; ei ad ſiniſtram, BOVIS, Occidentem; AQUILINAM denique faciem ſpectâſſe Aquilonem.

* Ezec. 1. 4.

* Verſ. 10.

Atque eadem quidem ratio ſuadet, ut illos quoque Cherubinos, qui Arcam Dei in Templi adyto obumbrabant, ſimili, hoc eſt, quadriformi facie fuiſſe

isse existimemus; præsertim cùm de iis qui in Templi parietibus cælabantur, rem ità se habuisse, testetur quod apud eundem de dimidiata ipsorum sculptura legitur cap.42.v.19. ubi, duabus faciebus, ut in ejusmodi cœlatura necesse fuit, in plano parietis absorptis, reliquæ tamen duæ, HOMINIS & LEONIS, hinc indè versùs palmas utrinque ascriptas, eminuisse perhibeantur. Et quorsum, obsecro, sculperentur Cherubini aliâ formâ quàm fuissent?

Adde, quòd de quatuor Animalibus istis, totidem Israelis cohortum insignibus, quidam accipiant illud Psalmi 68. 11. חַיָּתְךָ יָשְׁבוּ בָהּ· quod quidem Hieronymus, in versione illa quæ ab Hebraica veritate nomen habet, ità transtulit, *Animalia tua habitaverunt in ea*; nimirum, ut præcessit, *in hæreditate tua*, .i. castris populi tui quem per Eremum deduxisti. Similiter Septuag. &, quæ indè expressa est, vulgata habent Τὰ ζῶά σου, *Animalia tua.* Et sanè de illo tempore hîc agi, liquidò ostendit quod huic & precedenti versui præmittitur: *Deus, cùm egredereris coram populo tuo, cùm incederes per desertum; terra tremuit, etiam cœli distillaverunt à facie Dei, &c.* Itémq; quod subjungitur de *pluvia munifica*, pluvia, ni fallor, Mannæ; ideóq; vertendum, *Pluviam munificam, seu liberalem, sparsisti, Deus,* [*quâ*] *hæreditatem tuam, etiam laborantem confortâsti.* Nè illud quoque dicam; principium hujus Psalmi mutuatum ex ea precationis formula, quâ Moses [Num.10.] in profectione castrorum Israeliticorum usus fuerat, *Surge JEHOVA, & dissipentur inimici.*

Spectavimus castrametationem Dei Israeliticam: jam porrò videamus, ut eidem per omnia respondet Consessus Apocalypticus. 2 *Et*

CAP. 4.

2 ET fui, inquit Joannes, *in Spiritu, & ecce Thronus positus erat in cælo; & supra Thronum sedens.* 3. *& qui sedebat, aspectu similis erat lapidi jaspidi & sardio; & iris erat in circuitu Throni aspectu similis smaragdo.*

4 *Et in circuitu Throni sedilia viginti quatuor; & super sedilia, viginti quatuor presbyteri sedentes, circumamicti vestimentis albis, & in capitibus suis habebant coronas aureas.*

5 *Et de Throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua; & septem lampades ignis erant ardentes ante Thronum, qui sunt septem spiritus Dei; erat etiam à fronte Throni tanquam mare vitreum simile crystallo.*

6 *In medio autem Throni & in circuitu Throni quatuor Animalia plena oculis antè & retrò.* 7. *Et Animal primum erat simile Leoni; & Animal secundum simile Bovi; & tertium Animal habens faciem quasi Hominis; & quartum Animal simile Aquilæ volanti.*

8 *Et quatuor Animalia, singula eorum, habebant alas senas in circuitu, & intus plena erant oculis; & non interquiescebant die & nocte dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat & qui est & qui venturus est.*

9 *Et quando dabunt Animalia illa gloriam & honorem & gratiarum actionem sedenti super Thronum, viventi in secula seculorum:* 10. *procident viginti quatuor presbyteri ante sedentem in Throno, & adorabunt viventem in secula seculorum, & projicient coronas suas ante Thronum, dicentes,* 11. *Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam & honorem & virtutem: quia tu creâsti omnia, & propter voluntatem tuam sunt & creata sunt.*

Ad Cap. 4.

Annon hîc ſingula ſingulis reſpondent? Primùm enim, Tabernaculum quod attinet; Thronum hîc in medio poſitum cui Deus inſidebat, non aliud quàm Templum aut Tabernaculum fuiſſe (utriuſq; enim hiſtorię, quod obſervandum, accommodatur deſcriptio) oſtendunt tum ſeptem lampades ante ipſum ardentes, tum *Mare* illud vitreum cryſtallo ſimile. Quorum illæ Candelabrum ſeptem quoque lucernarum coram Adyto ardentium; hoc Labrum illud immane in Templo Solomonis *Mare* dictum repræſentat: ſed hoc diſcrimine, quòd illud Solomonis æneum fuit, noſtrum verò ex vitrea pellucidâq; materia. Neſcio tamen, an hîc alludi ad vetuſtius illud Moſaici Tabernaculi labrum, fas ſit ſuſpicari: quandoquidem & illud ex ſpeculari, neſcio quâ, materiâ; videlicet *ex ſpeculis mulierum convenientium ad oſtium Tabernaculi*, conflatum fuiſſe perhibetur, Exod. 38. 8. Videſis autem Templum Dei Throni nomine inſignitum Eſa. 6. ver. 1. *Vidi Dominum ſedentem ſuper Solium excelſum & elevatum, & fimbriæ ejus replebant Templum.* Item Jerem. 17. 12. *Solium gloriæ altitudinis à principio locus ſanctuarii noſtri.* Et Ezech. 43. 7. *Locus ſolii mei & locus veſtigiorum pedum meorum, ubi habito in medio filiorum Iſrael in æternum*, &c.

Atq; hujuſmodi Solium fuiſſe, quod Joannes in medio Presbyterorum & Animalium poſitum vidit, paſſim pro conceſſo habet Apocalypſis. Ubínam enim ille *Altare* coràm vidiſſet, *ſub eóq; animas mactatorum propter verbum Dei*, cap. 6. 9. niſi in Templo? Undénam illi *Altare aureum thymiamatis ante Thronum*, cap. 8. 3. ni Templum aut Tabernaculum

culum Thronus iste fuisset? Quídve aliud innuere volunt, *Quatuor cornua Altaris aurei quod est in conspectu Dei?* c. 9.13. Quid Templum, Atria templi & Altare, quà calamo Angelico *metienda, quà foras ejicienda?* cap. 11.1. Quid *apertum Templum Dei in cælo, inibíq; Arca testimonii visui exposita?* cap. 11. 19. Quid Angeli è *Templo prodeuntes?* c. 14. v. 15. 17.18. ídq; etiam in *cælo?* v. 18. Quid Citharœdi in crepidine *Maris* seu labri vitrei insistentes, atque ἐπινίκιον cantillantes? c. 15.2. & id quoque in cœlo? v. 1. Quid ibidem versu 5. *Templum Tabernaculi testimonii apertum in cælo?* idémque Templum v. 8. *fumo impletum à Majestate Dei?* Rem verò extra omnem contradictionis aleam ponit illud cap. XVI. v. 17. *Et vox magna prodiit* ἀπὸ τοῦ Ναοῦ τοῦ οὐρανοῦ ἀπὸ τοῦ Θρόνου, .i. *è Templo Cœli è Throno.*

Ad Cap. 4.

Porrò in hoc Throno seu Templo, nè quid fortè hæreas, Locus sessionis Dei, seu (prout Hellenistæ, 1. Reg. 10.19. de solio Solomonis loquuntur) ὁ Θρόνος τῆς καθέδρας, interior illa & sanctissima Templi pars fuit, quâ Arca fœderis cum propitiatorio condebatur. ibi nempe Deus habitare dicebatur & sedere inter Cherubinos gloriæ. Quâ demum ratione, tum hic septem lampades, tum postmodum Altare aureum thymiamatis rectè dicuntur fuisse *ante thronum*, putà ante adytum Templi; prout id de utrisque totidem planè verbis habetur, 2. Par. 4.20. & 2. Reg. 6.20. quorum priore Septuag. habent τοὺς λύχνους κατὰ τὸ πρόσωπον τοῦ δαβεῖρ (sic Hebraicè vocatur adytum) altero, θυσιαστήριον κέδρινον κατὰ πρόσωπον τοῦ δαβεῖρ, mente juxtà cum Apocalypsi, ἐνώπιον τοῦ θρόνου καὶ ἐνώπιον τοῦ θεοῦ. Ità reliquæ, sive Templi,

Ad CAP. 4.

pli, sive Tabernaculi partes Throno speciatim sic dicto, partim pro fulcris, partim pro gradibus erunt, partim pro scabello. cujusmodi seu partes seu appendices habuisse legitur augustum illud solium Solomonis. Hactenus de Throno.

2 Thronum autem proximè cingunt viginti quatuor Presbyteri, qui Episcopos exhibent & Antistites Ecclesiarum; respondéntq; & loco & ordine Levitis & sacerdotibus in castris Israelis; numerúsq; eorum 24. totidem ephemeriis sacerdotum & Levitarum, seu, quod eodèm redit, principibus ephemeriarum. Unde, præterquam quòd Deo proximi sunt, ipsi quoque thronos suos habent; præterea coronas gestant; quæ sunt dignitatis & potestatis à Deo tributæ insignia.

3 Tertiò, idoneo post Presbyteros intervallo, quà lineæ per *medium* Throni ductę bisecant Throni latera *circumquaque* ad quatuor cardines cœli, quatuor visebantur Animalia: primum figurâ LEONIS; secundum BOVIS (nam μόσχος Hellenistis * *bos* est) tertium effigie HOMINIS; quartum AQVILÆ volantis: repræsentandis nimirum Ecclesiis Christianis juxta quatuor plagas mundi; respondéntq; quatuor Castris Israeliticis, eorundem animalium vexilliferis. Quod enim in textu Apocalyptico aliquantò obscuriùs dicitur, ἐν μέσῳ τοῦ θρόνου, καὶ ἐν κύκλῳ τοῦ θρόνου, *in medio Throni, & in circuitu Throni*, per figuram ἀπὸ κοινοῦ Hebræis familiarem exponi debet; quasi nimirum dictum fuisset, ἐν μέσῳ τοῦ κύκλου (id est, περιβόλου) τοῦ θρόνου, *in medio ipsius circuitûs seu ambitûs Throni*; idq; in hunc sensum. Si Throno, utpote quadrato, figuram quadrangulam parallelam

* Vide Ezec. 1. 10. Exod. 34. 19. Levit. 18. 17. & alibi quadrageties.

quo

quo deceat à Throno & Presbyteris eum cingentibus intervallo, circumducas: in medio vel ad medium uniuſcujuſq; quadranguli laterum (nam ἐν μέσῳ diſtributivè ſumendum) quatuor ſeſe exhibebant Animalia; nempe in medio cujuſlibet lateris unum. Ad Cap. 4.

Porrò Animalia iſta deſcribuntur, *plena oculis antè & retrò, ſenas* inſuper *alas habentia in circuitu*, eaſdémq; *intus oculorum plenas*. Tot *oculi* multitudinem denotant hominum oculatiſſimorum, & ſcientiæ myſteriorum Dei pleniſſimorum; cujuſmodi in Animalibus ſunt, id eſt, Eccleſiis, quas Animalia repræſentant. *Alæ* agilitatem & alacritatem ad Dei imperium exequendum. *Alæ oculatæ* zelum cum ſcientia & fide conjunctum. *Sex* deniq; *alæ in circuitu*, quaquaverſum volaturientes denotant, id eſt, ad Dei mandata univerſaliter & integrè implenda paratiſſimos.

Additur poſtremò, cujuſmodi eſſet officium utrorumque, tam Animalium quàm Presbyterorum circa Thronum, nempe hujuſmodi: ut *quotieſcunque datura eſſent Animalia gloriam & honorem & gratiarum actionem Seſſori Throni*, id eſt, quoties Eccleſiæ ſacras ſynaxes facerent; toties *viginti quatuor Preſbyteri*, pro muneris ratione Animalibus præeuntes, *procidere ſoliti ſint coram Deo, dicentes, Dignus es Domine, qui accipias gloriam & honorem & virtutem, quia tu condidiſti omnia* &c. Hac autem interpretatione admiſſâ, dictio Joannis, quam pleriq; hîc ſolœciſmi inſimulant, quaſi *futuris* δώσουσι, πεσοῦνται, προσκυνήσουσι, pro præteritis abutentem; facilè ſeſe tuebitur: quum Hebræis (quorum notione Apoſtolus paſſim utitur) *futura* denotare ſoleant *actum ſolitum aut debitum*: ità

Ad Cap. 4. ut Joannes nequaquam hîc referre putandus ſit, quid tum in viſione ab Animalibus & Presbyteris factum ſit; ſed quid pro re nata faciendum eſſet, quódq; ipſe poſtmodum in progreſſu viſionum, ſi quando Deum celebrandi occaſio incidiſſet, ab iiſdem factum vidit.

Atq; ità (ut jam tandem finiam) Thronum in auguſto hoc Conſeſſu, Tabernaculo ſeu Templo; Preſbyteros Levitis & ſacerdotibus; quatuor Animalia quatuor Caſtris Iſraeliticis reſpondere; id eſt, totum Conſeſſum, priſcæ illius Caſtrametationis in eremo imaginem eſſe, luculenter oſtendiſſe mihi videor. Quæ res eò quidem fuſiùs mihi pertractanda fuit, quoniam ab ejus potiſſimùm cognitione plurimorum in Apocalypſi typorum rationem pendere animadverterem; id quod quemvis, re penitiùs introſpectâ, juxtà mecum ſenſurum non dubitem.

Ad Cap. 5. THeatro in hunc modum adornato, is qui Throno inſidebat, *Librum* intus & à tergo ſcriptum, ſeptémq; ſigillis munitum, dextrâ manu porrigit; ſimúlq; Angelus in ſcenam prodiens, editâ voce promulgat; ut, ſi cui aperiendi eum facultas data ſit, quò quæ in eo continerentur inſpici & legi poſſent, in manus ſibi ſumeret, atq; adniteretur: rem proculdubio, ſi perfecerit, omnibus rerum arcanarum ſtudio flagrantibus pergratam facturus.

Atque revera Liber erat digniſſimus, in quo reſignando quis omnes ingenii & induſtriæ ſuæ nervos contenderet: Codex utpote fatidicus ſeu conſiliorum Dei, quo ſeries & ordo rerum gerendarum ad ſecun-

Ad Cap. 5.

ſecundum illum & glorioſum Chriſti adventum pertexebatur. Ejuſmodi enim certè eſſe liquet, quæ deinde ſequitur gemina rerum futurarum prophetia, quam Codex iſte continebat. Quæ cauſa eſt, ni fallor, cur Joannes viſiones ſuas expoſiturus, adventûs iſtius glorioſi hypotypoſin, tanquam ſtadii Apocalyptici metam, fronti hiſtoriæ ſuæ præſcripſerit. *Ecce*, inquit cap. 1. *venit cum nubibus cæli, & videbit eum omnis oculus, etiam qui eum transfixerunt, & plangent ſuper eum omnes tribus terræ*; quaſi dicat: Hic ſcopus eſt, hęc meta, quas narrabo, viſionum.

Sed cùm *nemo eorum qui in cælo, quive in terra, quive ſubter terram, Librum reſignare potuerit*, réſque jam conclamata videretur; ità ut Joannes præ dolore in fletum erumperet: ecce Agnus, ſpecie *tanquam qui occiſus fuerat*, id eſt, obitæ mortis ſigna & cicatrices gerens, in medio Throni, Presbyterorum & Animalium ſurrexit, librúmque reſignandum patefaciendúmque recepit; putà qui ſolus omnium ejus rei facultatem promeruerat.

Hoc autem viſo, continuò Chorus Animalium & Presbyterorum, unà cum circumſtantibus Angelis, & omnibus in univerſum creaturis, hymnum Agno, Patríq; gratulabundi decantant. In quo illud ſolum in præſenti obſervare lubitum eſt, quòd facultatem Libri reſignandi merito paſſionis Agni manifeſtò acceptum referant. *Dignus es*, inquiunt, *aperire Librum & ſignacula ejus, quoniam occiſus es, & redemiſti Deo nos in ſanguine tuo ex omni tribu & populo & lingua & gente.* Quo fortaſſe lux fieri poſſit dicto Salvatoris, nec dum paſſi nec glorificati:

Ad Cap. 5. *De die verò illa, & hora* (putà ſecundi adventûs ſui, citiúſne, an ſeriùs futurus ſit) *nemo novit, neque Angeli in cælo, neque Filius, ſed Pater ſolus.* quippe, nondum Apocalypſin Chriſto à Patre datam, neq; ordinem rerum ad adventum ipſius gerendarum patefactum fuiſſe. Nihil temerè aſſero; rem ſecum Lector expendat.

Agno ſic Librum reſignante, ad ſingula ejus ſigilla ſingulæ rerum futurarum imagines exhibentur: quarum ſyſtema totum ſtadium Apocalypticum percurrit, adeóq; primam Prophetiam univerſalem conſtituit. cujus nunc interpretationem, Seſſore Throni & Agno faventibus, aggrediemur.

De duabus Prophetiis Apocalypticis.

PROPHETIA, prima, SIGILLORUM, complectitur fata *Imperii.* altera ΒΙΒΛΑΡΙΔΙΟΥ, fata *Eccleſiæ* ſeu religionis Chriſtianæ; donec tandem utrumque coaluerit in Eccleſia regnante; *factis regnis hujus mundi Domini noſtri & Chriſti ejus.* Quemadmodum enim in V. T. Daniel, ſecundum Imperiorum ſucceſſiones, tum Chriſti adventum præſignavit, tum Eccleſiæ Judaicæ fata digeſſit: ità rem Chriſtianam Apocalypſis, Romani, quod adhuc poſt Chriſtum ſuperfuturum eſſet, Imperii rationibus admetiri, cenſenda eſt. Nec eventus abnuit. Primæ enim Prophetiæ interpretatio ex generali hac hypotheſi ſic procedit.

De

De Prophetia prima, quæ Sigillorum eſt: primóque De ſex primorum Sigillorum ſignificatis.

Ad Cap. 5.

SEptem Sigillorum in univerſum ſcopus eſt, ut, diſcriminatis per eventorum characteres temporis fluxuri intervallis, indicetur, cujuſmodi Imperii Romani caſuum ordine decurſo, futurum eſſet, ut Chriſtus mundi numina, quibuſcum bellum ſuſceperat, debellaret: ſextâ nimirum vice, ſeu ſexto Sigillo, Gentilis Imperii Romani Deos; ſeptimo autem, cùm Tubarum ſeries ad noviſſimam pervenerit Tubam; quicquid etiam poſtea ibidem de novo ſubortum fuiſſet, aut uſpiam adhuc in mundo eſſet, idolorum & dæmonum cultûs deſtructum & deletum iri. *nam oportet eum regnare, uſquequo ponat omnes inimicos ſub pedes ſuos*, id eſt, omnem principatum, poteſtatem, & virtutem adverſariam aboleverit. 1. Cor. 15. 24, 25. De priore periodo, prout ordo poſtulat, primo loco agemus.

Prima igitur ſex Sigilla, ſextuplici eventorum charactere, (iis haud multùm diſſimilium, quæ Servator, etiam tempori ruinæ Hieroſolymorum deſignando, præſtituerat) totidem diſtinguunt ſtantis adhuc & florentis Imperii Romani intervalla; quoad tandem ſexto Chriſtus poteſtatem idolorum & Deaſtrorum Gentilium, in orbe illo, funditus demoliretur. Characteres autem voco, *Caſus* Romani Imperii admodum inſignes, quibus, tanquam emblematis, intervalla diſcernantur: eóſque in prima hac periodo, non foris à Barbaris gentibus illatos, (cujuſmodi erunt Imperii ſub ſeptem Tubarum

Ad Cap. 6. rum plagis poſtmodum ruentis;) ſed caſus inteſtinos, in ipſóque Imperio natos. Quod quidem diſcrimen idcirco à Spiritu S. inſtitutum, utì diſſimilibus notis diſſimilia rei Romanæ, hîc vigentis, illîc occidentis tempora deſcribantur.

Illud porrò hîc obſervandum venit. Quum characteres iſti caſuum, quos dixi, vix aut rarò totum Sigilli intervallum pervadant; eóque, intervallis ſuis certo initio & fine circumſcribendis, neutiquam per ſe ſufficiant: propterea Spiritum S. in quatuor primis Sigillis (ubi id maximè, tum ob cauſam jam dictam, tum ob intervallorum inæqualitatem opus foret) quatuor *Animalia* porrò in eam rem adhibuiſſe; quorum unumquodque indicaret Sigilli epocham cardini ſuo competentem. Id quomodo fiat, mox videbimus. nunc monuiſſe ſat eſt.

Cap. 6. 1. *Et vidi quum aperuiſſet Agnus unum ex ſeptem ſigillis, & audivi unum ex quatuor Animalibus, dicens, tanquam vocem tonitrui, Veni & vide.* 2. *Et vidi, & ecce Equus albus, & qui ſedebat ſuper illum habebat arcum, & data eſt ei corona; & exivit vincens, & ut vinceret.*

3. *Et quum aperuiſſet ſigillum ſecundum, audivi ſecundum Animal dicens, Veni & vide.* 4. *Et exivit alius Equus rufus; & qui ſedebat ſuper illum, datum eſt ei, ut tolleret pacem de terra, & ut invicem ſeſe interficiant; & datus eſt ei gladius magnus.*

5. *Et quum aperuiſſet Sigillum tertium, audivi tertium Animal dicens, Veni & vide. Et vidi, & ecce Equus niger; & qui ſedebat ſuper illum habebat ſtateram*

teram in manu ſua. 6. Et audivi vocem in medio quatuor Animalium dicentem, Chœnix tritici denario, & tres chœnices hordei denario; & vinum & oleum nè læſeris.

7. Et quum aperuiſſet Sigillum quartum, audivi vocem quarti Animalis dicentem, Veni & vide. 8. Et ecce Equus pallidus; & qui ſedebat ſuper eum, nomen illi MORS, & Infernus ſequebatur eum; & data eſt illis poteſtas ſuper quaternitatem terræ interficiendi gladio, fame, & morte, & beſtiis terræ.

De SIGILLO I.

PRimus Imperii Romani *caſus*, & ſanè inſignis, *primordium* eſt *VICTORIÆ Chriſti*; quâ Dii Romani debellari, eorúmq; cultores, ſagittis Evangelii confixi, paſſim deficere, Chriſtóq; victori colla ſubmittere incipiunt. Ἐξῆλθε, inquit, νικῶν, καὶ (N.B.) ἵνα νικήσῃ, id eſt, Nondum jam plenè vicit, ſed fundamenta jecit victoriæ, deinde magìs magíſque complendæ. Ad Cap. 6.

Hujus Sigilli index eſt Animal primum, effigie Leonis, ſtatione ad Orientem: monſtrátque ex ſuo cardine prodire Equitem, id eſt, Imperatorem, à cujus in equum aſcenſu ad equitandum, id eſt, imperii ingreſſu, ineundum ſit primi Sigilli intervallum; nempe ab exaltatione glorioſa Domini noſtri Jeſu Chriſti: cujus ab Oriente Imperatoris ductu & auſpiciis bellum hoc geritur, victoriáque vincitur. Sequentium quidem Sigillorum initia Imperatoribus Romanis diriguntur; ſed ubi Chriſti res geſta deſcri-

Ad CAP. 6. deſcribitur, ejus ſolius Imperatoris ratio habenda fuit.

Jam verò, hoc Sigillo circumacto, Deorum oracula per totum orbem Romanum obmutuere; & Joannes, duodecim Chriſti Apoſtolorum ultimus, expletis militiæ ſuæ ſtipendiis, ex hac vita commigravit, coronam immarceſcibilem in cœlis, unà cum coapoſtolis fratribus ſuis, ob rem fortiter & feliciter geſtam, accepturus.

Quòd autem equo vehi poteſtatis ſymbolum ſit, eorúmque qui rerum habenas moderantur, vel ex Helleniſtarum interpretatione Pſal. 45. 5. videre eſt; quibus *Proſperare & equita* eſt, κατευοδῶ καὶ βασίλευε, *proſperè procede & regna*: neque ab hoc ſenſu abit Chaldæus, qui transfert, *ut equites ſuper thronum regni*. Ità Mulier Beſtiæ inequitans c. 17. exponitur ab Angelo πόλις ἡ ἔχουσα βασιλείαν: eâdémque notione adhibetur *equitandi* verbum, Deut. 32. v. 13. Eſa. 58. v. 14. Pſal. 66. 12.

DE SIGILLO II.

SEcundus Imperii Romani caſus memorabilis, ſecundi Sigilli emblema, eſt Ἀλληλοσφαγία, CÆDES *& laniena inteſtina*; cui vix alia ſimilis in omni hiſtoria Romana. *Et datum eſt*, inquit, *ſedenti in hoc Equo, ut auferat pacem è terra* (id eſt, ut, illo Seſſore, pax è terra auferatur,) καὶ ἵνα ἀλλήλους σφάξωσι, *& ut ſe invicem* homines *mactarent*. Quæ poſtrema ſententiæ pars firmat explicationem prioris. Nam quo demum ſenſu caperentur iſta, *datum eſſe ſeden-*

ti

ti in equo, ut homines *ſe invicem interficerent?* niſi, datum eſſe, ſeu factum, ut, eo quidem ſeſſore, homines mutuis cædibus & lanienis ſævirent. Ad Cap. 6.

Sigilli hujus index eſt Animal ſecundum, effigie Bovis, ſitu ad Occidentem: dúmque in Viſione ad ſe reſpiciendum jubet, eo nionet, Sigillum hoc inire, cùm Trajanus Hiſpanus rerum habenas capeſſeret, Imperator ab Occidente. Dion; *Trajanus homo Hiſpanus, nec Italus erat nec Italicus: ante eum nemo alterius nationis Imperium Romanum obtinuerat.* Atqui ab eo deinceps in eadem generis ſerie regnatum eſt ad Commodum uſque, ubi Sigilli hujus intercapedo definit.

Ab hoc igitur Imperatore principio ducto, quęramus memorabilem iſtum ἀλληλοφαγίας caſum. Res verò geſta eſt, tum Trajano tum ſucceſſore ejus Hadriano Imperii clavum tenentibus, à Gentibus & Judæis, tunc unà per orbem Romanum cohabitantibus. Quid ſub Trajano factum, cape non meis ſed junctis Dionis & Oroſii verbis. *Incredibili*, inquit Oroſius, *motu ſub uno tempore Judæi, quaſi rabie efferati, per universas terrarum partes exarſerunt. Nam & per totam Lybiam adverſus incolas atrociſſima bella geſſerunt: quæ adeò tunc, interfectis cultoribus, deſolata eſt, ut niſi poſtea Hadrianus Imperator collectas illuc aliunde colonias deduxiſſet; vacua penitus, abraſo habitatore, manſiſſet. Qui circa Cyrenem habitabant,* (Dion loquitur) *Andreâ quodam duce, Romanos pariter atque Græcos concîdunt, veſcuntur eorum carnibus, edúntque viſcera; tum oblinuntur eorum ſanguine, & pellibus induuntur. Multos à vertice ſerris diſcidere medios, multos objecere beſtiis, multos eti-*

Ad Cap. 6.

am certare inter se coegerunt; ità ut interierint hominum ad DUCENTA VIGINTI MILLIA. Pergit; *Præterea in Ægypto consimilis cædes facta est, & in Cypro, Artemione duce; ubi etiam perierunt* DUCENTA QUADRAGINTA MILLIA. *Salaminem urbem Cypri, interfectis omnibus accolis, deleverunt.* [Oros. Euseb.] *In Alexandria autem commisso prælio victi & attriti sunt.* [Oros.] *Tandem & ab aliis & maximè à Lysio, quem Trajanus miserat, subacti sunt. In Mesopotamia quoque rebellantibus, jussu Imperatoris, bellum illatum est.* [Oros. Euseb.] *Atque ità multa millia eorum vastâ cæde delecta sunt.*

Hactenus quæ sub Trajano. Sed an, inquies, quicquam sub Hadriano cum istis conferendum? Fuerintne paria, lector judicet. audeo dicere, haud multò minora. Nec dum enim aliquid de rebellione ista famigeratâ, BARCOCHEBA Pseudomessiâ duce, retulimus. Audi igitur illam quoque ejusdem Dionis verbis: *Cùm*, inquit, *Hadrianus in Urbem Hierosolymam coloniam deduxisset, ac quo loco Dei Templum fuerat, alterum Jovi Capitolino ædificari curavisset: magnum & diuturnum bellum indè moveri cœptum, totam Judæam commoveri, Judæos omnes ubiq; gentium tumultuari, multa damna occultè apertéque Romanis inferre; cúmque iis complures alias gentes lucri cupiditate conjungi, atque ea de re omnem ferè orbem terrarum commotum esse.* Pergit; *Hos Hadrianus, optimis quibusque ducibus adversus eos missis, sed (multitudine eorum & desperatione cognitâ) non nisi singulatim eos adoriri ausis, serò tandem oppressit, fregitque; cæsis in excursionibus prælisque, non minùs* QUINGENTIS ET OCTOGINTA MILLIBUS. *Eorum*

rum autem qui fame, morbo, & igne interiere, tanta fuit multitudo, ut numerus indagari non potuit. Sed num ea victoria Romanis facilis fuit, & incruenta? Minimè verò. *tot* enim, ait, *ex Romanis quoq; in eo bello pericre, ut Hadrianus, cùm ſcriberet ad Senatum, non eſt uſus illo exordio, quo uti Imperatores conſueverunt,* SI VOS, LIBERIQUE VESTRI VALETIS, BENE EST, EGO QUIDEM ET EXERCITUS VALEMUS. Hæc ille de motu Judæorum ſub illo Stellæ, ut vocârunt, ſeu mavis, Stellionis filio. quem Euſebius porrò ſcribit, nolentes ſibi Chriſtianos adverſum Romanum militem ferre ſubſidium omnimodis cruciatibus necaviſſe. Ad Cap. 6.

Quod ſi cui lubitum eſt, Judæos ipſos audire cladem ſuorum æſtimantes; author libri Juchaſin ſcribit Hadrianum *duplo plures Judæos in hoc bello trucidâſſe, quàm egreſſi ſint ex Ægypto.* Alius libro qui inſcribitur מלכי רומי, quem Druſius laudat in Præteritis, *Non ſic afflixiſſe eos Nabuchadnezarem neque Titum, ſicut Hadrianus Imperator.* Adeò hæc clades tribulationis iſtius inauditæ, quam Servator Judæis eventuram prædixerat, graviſſimus omnium paroxyſmus fuiſſe videtur: ideóque non immeritò, cùm, tam gentis, quàm tam illuſtris complementi nomine, præcelluerit; ſecundo huic intervallo ſignando, præ aliis omnibus illius temporis eventis, à Spiritu Sancto electus. Pag. 126.

Ad CAP. 6

DE SIGILLO III.

SIgilli tertii index eſt Animal tertium, effigie humanâ, ſtatione ad Meridiem: proindéq; monſtrat, Sigillum hoc inire, Imperatore ex illo cardine prodeunte, putà Septimio Severo Afro, Imperatore à Meridie. De quo ſic Eutropius: *Oriundus ex Africa, provinciâ Tripolitanâ, oppido Lepti, ſolus omni memoriâ & antea & pòſt ex Africa Imperator.*

Hujuſce autem Sigilli rem, plerique *Famem* eſſe volunt, ſive annonæ caritatem; ducto argumento tum à colore Equi nigro, tum ab indicatura frumenti, *Chœnix trtici denario, & tres chœnices hordei denario*; cui quoqûe trutinam in manu Seſſoris inſervire putant; quippe non tam menſurandam, quàm appendendam præ nimia penuria annonam.

Et ſanè hanc interpretationem (adeò primâ fronte concinna eſt viſa) nunquam in dubium vocâſſem, ſi eventus ei reſpondiſſet. Sed nihil hoc ævo, hácque Sigillorum ſerie de fame reperio ſingulare, & characteris officio dignum. Nam quod ex Tertulliano ad Scapulam affertur, id nequaquam magni ducendum arbitror. Neque enim ſi, quod ille perhibet, meſſis aliquando Hilariano præſide in Africa defecerit, illico id, aut generale per orbem Romanum fuerit, aut Severi ævo. Hinc factum, dum Symboli rationem paulò propiùs intueor, ut aliò potiùs ſpectare, haud omnino vanis indiciis, colligere mihi viſus ſim. Quippe non, ut illa interpretatio expoſcit, *Statera* cum *Chœnice* ſatìs aptè componi poſſe videtur; quum *Libra* ponderando, *Chœnix* verò menſuræ nomen ſit. Præterea, quum reli-

reliquorum Sigillorum ſignificatis admodum congruat conditio Animalis indicantis; *Victoriæ*, Leonis; *Mactationi*, Bovis; ſubſequentis Sigilli *Cadaveribus*, Aquila: hîc nulla futura eſſet ſocietatis ratio. Quæ enim Homini cum fame convenientia? Color verò niger, nec naturâ ſuâ, nec veterum Prophetarum uſu, uni fami alligatus eſt, ſed æquè triſtitiæ, ſqualori, & terrori figurando inſervit. Ad Cap. 6.

Sit igitur hujuſce Sigilli Res, non fames aut annonæ caritas; ſed JUSTITIÆ per orbem Romanum *procuratio* & *ſeveritas*, præquam in ullo retro aut ſubſequentium intervallorum, inſignis & notabilis. Nam quod ad figuram attinet, color Equi juſtitiæ ſeveritati convenit. *Libram* eſſe juſtitiæ ſymbolum, tranſlatitium eſt; ut hodiéque Juſtitiam cum *libra* pingi, nemo neſciat. Illud verò quod de indicatura ſubjungitur, ſi auſcultes, ità tinnire videbitur. *Nè cuiquam triticum, aut hordeum, niſi juſto pretio perſoluto, auferto: ſimilem quoque juſtitiæ legem in vino & oleo ſervato.* quaſi nimirum contra fures caveret, & dixiſſet, *Nè furator*. *Denarius* enim fuit operis diurni merces ordinaria, quod ex Evangelio liquet. fuit etiam diurnum ſtipendium militum. *Chœnix* ſignificat demenſum diurnum, ἡμεροτροφίδια, ſed incertâ admodum menſurâ. variavit enim pro ratione gentium, locorum & hominum. Chœnix militaris (ut minores chœnices prætermittam, opilionum, villicorum, vinitorum) quatuor fuit ſextariorum. Sed veteri Lexicographo Græcolatino χοῖνιξ eſt *ſemimodium*, id eſt, militaris duplum: imò Helleniſtis Ezec. 45.10,11. χοῖνιξ eſt *Bathus*, ampliſſima Hebræorum menſura. Ex tam incerta Chœnicis menſura, quî

Matth. 20.

Vide Caſparum Waſerum de antiq. menſur. lib. 2. cap. 3

Ad CAP. 6. poteſt aliquid de fame & annonæ caritate exculpi? Chœnicem igitur hîc accipio pro quolibet dimenſo diurno, & Denarium pro quolibet dimenſi pretio. Ità interpretationis, quam dedi, ratio conſtabit.

Jam eventus, mirum eſt, quàm interpretationi faveat, rerum potiuntibus Severo & Alexandro, maximè inclytis Equi nigri ſeſſoribus. De Severo, quæ ſparſim apud Aurelium legas, retentis Authoris verbis, in unum colligam; idem poſtmodum Lampridio facturus de Alexandro. *Severo*, inquit Aurelius, *præclarior in republica fuit nemo, legum conditore longè æquabilium. Implacabilis delictis, ſtrenuum quemque præmiis extollebat. Nulli in dominatu ſuo permiſit honores venundari. Nè parva quidem latrocinia impunita patiebatur, in ſuos animadvertens magis, quod vitio ducum, aut etiam præfectorum fieri vix experiens intelligeret.* Aurelio adſtipulatur Spartianus, dum eum *& implacabilem delictis, & latronum ubique hoſtem* vocat.

Sed hæc nullo numero fuerint præ iis, quæ de Alexandro Mammeæ filio Lampridius; in quibus proinde characteris hujus Sigilli ſumma collocanda videtur. *Is*, inquit, *leges de jure populi & fiſci moderatas & infinitas ſanxit, neque ullam conſtitutionem ſacravit ſine vigintijuriſperitis. Severiſſimus judex contra* fures, *appellans eoſdem quotidianorum ſcelerum reos, & damnans acerrimè; ac ſolos hoſtes, inimicóſque reipublicæ vocans, juſſit* (de judicibus furibus, ni fallor, loquitur) *in civitatibus nunquam videri, & ſi eſſent viſi, deportari per rectores provinciarum. Referebat*, inquit, *Eucolpius, (quo ille familiariſſimè uſus eſt)*

Ad Cap. 6.

est) illum, si unquam furem *judicem vidisset, paratum habuisse digitum, ut illi oculum erueret. Addit Septimius, qui vitam ejus non mediocriter exequutus est, tanti stomachi fuisse Alexandrum in eos judices qui furtorum famâ laborâssent, etiamsi damnati non essent, ut si eos casu aliquo videret, commotione animi, stomachi choleram evomeret, toto vultu exardescente, ut nihil posset loqui. Jussit imò per præconem edici, ut nemo salutaret principem, qui se Furem esse nôsset, nè aliquando detectus capitali supplicio subderetur.* Pergit; *Si quis militum de via in alicujus possessionem deflexisset, pro qualitate loci, aut fustibus subjiciebatur in conspectu ejus, aut virgis, aut condemnationi; aut, si hæc omnia transiret dignitas hominis, gravissimis contumeliis; cùm diceret,* Vísne in agro tuo fieri quod alteri facis? *clamabátque sæpius, quod à quibusdam sive Judæis, sive Christianis audierat, & tenebat; idque per præconem, cùm aliquem emendaret, dici jubebat,* QUOD TIBI FIERI NON VIS, ALTERI NE FECERIS. *Quam sententiam usque adeò dilexit, ut & in palatio, & in publicis operibus præscribi juberet.*

En tibi, Lector, Equi nigri sessorem auream illam, & cœlitus demissam JUSTITIÆ TRUTINAM in Theatro orbis terrarum magnificè librantem. Quod tam insigne fuit in Imperatore Pagano, ut eò in hoc Sigillo Spiritum S. respexisse, nemini mirum videri debeat.

Aliter de tritici & hordei indicatione.

POtest & hæc *tritici & hordei*, &c. indicatura de procuratione rei frumentariæ per hæc tempora insigni intelligi. Nam videri potest, hanc quoque

Ad Cap. 6. que verbis iſtis ineſſe mentem; Ità rei frumentariæ de copia proſpiciendum eſſe, ut annona æquo, & cui quiſque ſolvendo ſit, pretio væneat. *Chœnix tritici denario.* .i. Demenſum diurnum tritici, diurno laboris pretio aut ſtipendio aut reditu venditor: ut nè ſcilicet cui opus ſit, plus dietim ad victum erogare, quàm ei dietim ſuppetat erogandum. Illud quoque, *Tres Chœnices hordei denario*, videri poſſit ad æquationem pretii, pro qualitate mercium, pertinere. Si cui iſtiuſmodi interpretatio placuerit, eventus hîc quoque ad amuſſim reſpondebit.

Spartianus de Severo; *Rei*, inquit, *frumentariæ, quam minimam repererat, ità conſuluit, ut excedens ipſe vitâ ſeptem annorum Canonem populo Romano relinqueret: ità ut quotidiana ſeptuagena quinque millia modiorum expendi poſſent. Populo Romano diurnum oleum gratuitum* (primus) *donavit; ejus verò tantum reliquit, ut per quinquennium, non ſolùm urbis uſibus, ſed & totius Italiæ, quæ oleo egeret, ſufficeret.* Quaſi nimirum implere voluiſſet quod hîc adjicitur, Καὶ τὸ ἔλαιον καὶ τὸν οἶνον μὴ ἀδικήσῃς, *In oleo quoque & vino nè ſis injuſtus.* Similia habet Lampridius de Alexandro: *Commeatum*, inquit, *populi Romani ſic adjuvit, ut cùm frumenta Heliogabalus evertiſſet, vicem de propria pecunia loco ſuo reponeret. Oleum quoque*, inquit idem, *quod Severus populo dederat, quódque Heliogabalus imminuerat, integrum reſtituit. addidit & oleum luminibus Thermarum.*

DE

DE SIGILLO IIII.

Ad Cap. 6.

SIgilli quarti index eſt quartum Animal, effigie Aquilinâ, ſtatione ad Aquilonem: quo monſtratur, initium Sigilli ducendum ab Imperatore illîc oriundo, id eſt, Maximino Thrace Septentrionis alumno. Julius Capitolinus. *Maximinus de vico Thraciæ vicino Barbaris, Barbaro etiam patre & matre genitus.*

Hujus Sigilli *character* eſt *Concurſus* GLADII, FAMIS, & PESTIS unà, ut aliàs nunquam, ſævientium. Unde Equi ſeſſori *Mortis*, id eſt, notione Hebræorum, qui abſtractis pro concretis utuntur, θανατοφόρος, ſeu *Mortiferi* nomen inditum eſſe dicitur, eò quòd tot Mortes ſecum in Orbem inveheret. Nam iiſdem quoque Hebræis, Prophetis præſertim, *nomine vocari* idem quoque valet atque *eſſe* vel *exiſtere*, ſed eximio & præcipuo quodam modo: ut Eſa. 7. 14. & 9. 5. Jerem. 23. 6. & 20. 3. Zach. 6. 12. & hîc in Apocalypſi cap. 19. 13. adeò ut *Mortis nomen habere*, nihil aliud hoc loco ſit, quàm eſſe ſingulariter & inſigniter θανατοφόρος vel *Mortiferum*. cui rei quoque eſt illud, quòd *Orcus* eundem tanquam libitinarius comitetur.

Jam de eventu videamus. Et ſanè nunquam ex quo Sigilla cœpere, hæc tria junctim, támque inſigni modo ſæviere. A Cæde incipiam, & omitto quæ ab externo hoſte pertulit hoc ævum, ſanè graviſſima; Barbaris univerſum ferè Imperium, ſub Gallo & Voluſiano Imperatoribus, rapinis & cædibus exhaurientibus. non enim iſta in hunc cenſum veniunt; quærimus inteſtina & domeſtica. Decem igi- De Gladio.

Ad Cap. 6. tur plùs minùs Imperatores & Cæſares, qui legitimi habentur, Sigilli hujus intercapedine, id eſt, triginta trium, aut paulò plurium annorum ſpatio, gladius, non hoſtium, ſed ſuorum abſumpſit. Per idem intervallum, ſub unius Gallieni Imperio, triginta illi Tyranni, de quibus Pollio, aut uno aut altero fortè pauciores, in diverſis orbis Romani partibus exorti ſunt: atque hi plerique omnes, aut à ſuis, aut à ſe invicem cæſi, aut ab Imperatoribus legitimis trucidati fuere. ut non immeritò de hac plaga dixerit Oroſius, *eam non per vulgi cædem, ſed per vulnera mortéſq; Principum exaltatam eſſe.*

Denique Imperatores ipſi, primus Maximinus, & in noviſſimis Gallienus, quantâ ſævitiâ fuere? Maximinus, Julio Capitolino teſte, tam crudelis fuit, *ut illum alii Cyclopem, alii Buſiridem, alii Scironem, nonnulli Phalarin, multi Typhonem vel Gygem nominarent. Senatus eum tantum timuit, ut vota in Templis publicè privatimque, mulieres etiam cum ſuis liberis, facerent, nè ille unquam Urbem Romam videret. Audiebant enim alios in crucem ſublatos, alios animalibus nuper occiſis incluſos, alios feris objectos, alios fuſtibus eliſos; atque omnia hæc ſine delectu dignitatis.* Pergit idem. *Ignobilitatis tegendæ causâ, omnes conſcios generis ſui interemit; nonnullos etiam amicos, qui ei ſæpe miſericordiæ & pietatis causâ pleraque donavcrant; neque enim fuit crudelius animal in terris. Denique,* inquit, *ſine judicio, ſine accuſatione, ſine delatore, ſine defenſione omnes* (factionis Magni cujuſdam, viri conſularis) *interemit, omnium bona ſuſtulit, & plus quatuor millibus hominum occiſis ſe ſaturare non potuit.*

Audi etiam quid de Gallieno Trebellius Pollio, libro

libro de 30 Tyrannis. *Occiſo*, inquit, *Ingenuo, qui à Mæſiacis legionibus Imperator eſt dictus, in omnes Mæſiacos, tam milites quàm cives, aſperrimè ſæviit, nec quenquam ſuæ crudelitatis exortem reliquit: uſque adeò aſper & truculentus, ut pleraſque Civitates vacuas à virili ſexu relinqueret.* Idem in vita Gallieni. *Scythis*, inquit, *in Cappadociam pervadentibus, milites iterum de novo Imperatore faciendo cogitaverant. quos omnes Gallienus* more ſuo *occidit.* Addit in fine: *Fuit nimiæ crudelitatis in milites: nam & terna millia, & quaterna millia ſingulis diebus occidit.* Refert quoque in eadem Gallieni vita Pollio memorabile admodum lanienæ Bizantinæ exemplum, quà à militibus, quà ab ipſo Gallieno editum. *Nè quid*, inquit, *mali deeſſet Gallieni temporibus, Bizantinorum Civitas, clara navalibus bellis & clauſtrum Ponticum, per Gallieni milites ità omnis vaſtata eſt, ut prorſus nemo ſupereſſet. Quorum cladi ulciſcendæ, Gallienus viciſſim Bizantio receptus, omnes milites inermes, armatorum coronâ circundatos, interemit, fracto fœdere quod promiſerat.* Ad Cap. 6.

Habes de Cædibus. ad Pestem venio. quæ hîc ex uſu Orientis θάνατος dicitur. Ità Chaldæus Paraphraſtes pro דֶּבֶר *peſte* amat ponere מוֹתָא *mortem*, & Helleniſtæ plerunque vertunt θάνατον; ſimiliſque notione Eccleſiaſticis ſcriptoribus *mortalitas* dici ſolet. quæ jam in multas linguas vernaculas migravit. De Peſte autem, res adeò notoria eſt & manifeſta, ut oraculi fidei aſtruendæ non opus ſit multa congerere. verbo expediam. Zonaras author eſt, nec cæteri tacuere, ſub Gallo & Voluſiano Imperatoribus, Peſtem ab Æthiopia exortam omnes Romanas provincias pervaſiſſe, & per quindecim De Peſte.

Ad CAP. 6. Lipſ. De Conſtant. 2. 23. De Fame.

continuos annos incredibiliter exhauſiſſe. *Nec alia unquam major lues mihi lecta* (inquit vir noſtro ævo celebris) *ſpatio temporum, ſive terrarum.*

Supereſt adhuc ex triga illa calamitatum Fames. Quam quidem ab hoc ævo abeſſe non potuiſſe, etiamſi nemo veterum id prodidiſſet, quivis indè colligat, quòd omne ferè Imperium à Scythis per hæc tempora rapinis & vaſtationibus adeò attonſum & attritum ſit, *ut nulla*, ſi Zoſimo fides, *Romanæ ditionis gens ab iis libera permanſerit; omnia ferè oppida mœnibus deſtituta, & iiſdem deſtitutorum maxima pars capta fuerint.* Qui fieri potuit, ut non hujuſmodi vaſtationibus deſererentur agri, negligeretur aratio, & quicquid uſpiam erat ad victum repoſitorum peſſundaretur?

Apud Euſeb. Hiſtor. lib. 7. c. 17.

Atque ità quidem revera eveniſſe, liquet ex Dionyſii Alexandrini, qui tum vixit, epiſtolâ ad fratres; ubi diram iſtam, de qua egimus, Luem *bello* & *fami* ſucceſſiſſe teſtatur. *Poſt hæc*, inquit, id eſt, perſecutionem quæ ſub Decio fuit, (nam eam intelligit quæ præceſſit peſtem) ἢ πόλεμος ἢ λιμὸς ἐπέλαβεν, *& Bellum & Fames ſecuta ſunt, quæ unà cum Ethnicis pertulimus.* & paucis interjectis, *At ubi*, inquit, *cùm nos, tum ipſi reſpiraveramus, invaſit lues iſta, res illis quovis terrore terribilior & calamitate quacunque lamentabilior; nobis verò exercitatio & exploratio nullis reliquis inferior.* Adſtipulatur Cyprianus Apologiâ ad Demetrianum. *Cùm dicas*, inquit, *plurimos conqueri, quòd bella crebriùs ſurgant, quòd* LUES, *quòd* FAMES *ſæviant, quòdque imbres & pluviæ ſerena longa ſuſpendant, nobis imputari, tacere ultrà non oportet, &c.*

De

Ad Cap. 6.

De *Beſtiis* autem quod porrò in textu additur; ſiquidem à ſuperioribus diverſum ſit, & non potiùs innuat, Tyrannos, qui inſtar Ferarum per ea tempora in Orbe Romano ſævirent, calamitatibus iſtis cauſam daturos; indicabit ſolenne Orientalibus & Auſtralibus regionibus in hoc *caſu* malum: ut nimirum, fame & peſte ſævientibus, Beſtiæ contra homines invaleſcerent, cóſque occiderent, ut videre eſt Levit. 26. Ezech. 54. 15, 21. Sed priori ſententiæ magis favet Syntaxeos mutatio: ἐν καὶ ὑπὸ θηρίων τῆς γῆς, ſi reddas, *atque id per beſtias terræ.*

Τὸ τέταρτον τῆς γῆς, *quartam partem terræ*, in quam Orco & Morti poteſtas ſæviendi data fuiſſe dicitur (niſi ſi quis vulgatum Interpretem hîc defendi poſſe putet, apud quem τέταρτον τῆς γῆς eſt τρίμοιρον, id eſt, *quaternio*, ſeu *quatuor partes*, *ternæ*) expono de potiſſima & multò maxima Orbis Romani parte. Quum enim tertia pars terræ (ut ſuo loco dicetur) Orbis Romani amplitudinem deſignet, conſequens eſt, quartam terrarum partem eſſe eandem Ditionem Romanam quartâ parte minùs: eóque trigam iſtam ſeu quadrigam calamitatum tres Orbis Romani quadrantes pervaſiſſe, hoc eſt, ferme totum, unico tantùm quadrante ejus immuni. Et certè Oroſius aſtruere videtur, Peſtem non ultrà ſeſe extendiſſe, quàm (ut ejus verbis utar) *ad profligandas Eccleſias edicta Decii cucurrerunt.* De cæteris nihil habeo dicere. Atque hæc de quarto Sigillo.

Ad CAP. 6.

DE SIGILLO V.

DUo quæ ſequuntur Sigilla, nullum habent, ut ſuperiora, de exordii ſui tempore ab Animalibus ſubſidium; proindéque nulli hîc equorum Seſſores videndi ampliùs, unde illud Animalium indicium pendebat. Utriuſque igitur intervallum illîc auſpicandum eſt, ubi antecedentis Sigilli caſus deſierit. Quod quidem facile admodum ſit, ubi Caſus, ut hîc, ejuſmodi fuerint, ut eorum determinatio, ob inſignem evidentiam, latere nequiret.

Quintum proinde Sigillum inibit ab imperio Aureliani, anno CCLXVIII. ad quod tempus, quæ diutiſſima fuit prioris Sigilli calamitatum, quindecim annorum Peſtis extincta eſt.

Jam maximè inſignis ſub hoc Sigillo rei Romanæ *caſus*, quíque omnibus aliis illius temporis eventis præcelluerit, eſt PERSECUTIO *illa Chriſtianorum* à Diocletiano incepta, ab aliis continuata, longè omnium quæ unquam fuerant acerbiſſima. Nihil præ iſtac viderunt priora ſecula. *Omnibus ferè anteactis* (verba ſunt Oroſii) *diuturnior & immanior fuit. Nam per decem annos incendiis Eccleſiarum, proſcriptionibus innocentium, cædibus Martyrum inceſſabiliter acta eſt.* Initio ſtatim decennii iſtius, intra dies triginta, ad ſeptendecim hominum millia mactata feruntur, nec progreſſu temporis mitigavit perſequentium furor. In una Ægypto (quantula Romani Imperii particula?) ſi Domino Ignatio Patriarchæ Antiocheno, apud *Scaligerum, fides, mactata ſunt *centena & quadraginta quatuor hominum millia; ſeptingenta autem in exilium acta.* unde Æra Diocletiana

*De Emendatione Tempor. lib. 5. de primo anno Diocletiani & Coptitar.

cletiana apud Ægyptios nomen invenerit, ut hodiéque Æra Martyrum nuncuparetur. Quid jam censes factum in reliquis per orbem Romanum provinciis? *Omnis ferè sacro Martyrum cruore orbis infectus est*, inquit Sulpitius Severus. *Nullis unquam bellis mundus sanguine magis exhaustus est, neque majori unquam* (verba sunt ejusdem) *triumpho Ecclesia vicit, quàm cùm decem annorum stragibus vinci non potuit.* Ad Cap. 6.

Figuratur hæc laniena visione *Animarum interfectorum propter Verbum Dei, & propter testimonium quod habebant, jacentium sub altari*, id est, humi ad pedem altaris, instar hostiarum recèns jugulatarum. Est enim Martyrium genus quoddam sacrificii. Unde illud Apostoli ad Timotheum, instante jam martyrio suo, Ἐγὼ ἤδη σπένδομαι, *Ego jam liber & tempus resolutionis meæ instat.* 2. Tim. 4. 6. Quò etiam spectat illud ejusdem ad Philippenses, 2. 17. *Si immolor supra sacrificium & ministerium fidei vestræ, &c.* Vers. 9.

Quod porrò ad Deum *voce magnâ clamare* dicantur, ultionem sanguinis sui poscentes, periphrasis est crudelitatis extremæ judicióque maturæ, tanquam quę jam præ immanitate sua ipsam Dei patientiam solicitaret ad vindictam. *Usquè quò*, inquiunt, *Domine, sanctus & verax, non judicas, & vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terra?* Vers. 10.

Interim datæ sunt singulis stola albæ, id est, cooptantur in ordinem Beatorum. Sumpta parabola ex more Judæorum in probandis & admittendis Sacerdotibus; quos nimirum de genealogia & corporis integritate idoneos judicâssent, eos candidis stolis indutos in Atrium Sacerdotum recipientium, sícq; in ordi- Vers. 11.

Ad Cap. 6. ordinem ſacerdotalem cooptantium. Majemonides in Miſchne lib. 8. tit. Biath hammikdasch. cap. 6. § 11. Id quod luculenter exprimitur cap. 7. 13, 14, 15. ubi de iſtis qui ſtolis albis amiciebantur, dicitur, quòd *ante Thronum Dei ſint & colant eum* (putà ut Sacerdotes) *die ac nocte in Templo ejus.*

De clamore verò ſanguinis reſponſum eſt, *Ut requieſcerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conſervi eorum, & fratres eorum, qui interficiendi ſunt, ſicut & illi.* id eſt, ut pauliſper ſuſtinerent, donec fratrum ſuorum aliquot, qui, poſteaquam Chriſtianiſmus jam regnare inciperet, ſub Licinio, Juliano, & Arrianis, ſimiliter atque ipſi jugulandi erant, numero accederent; túncque clangentibus Tubis, ſolennem vindictam de Imperio tanti ſanguinis reo ſumptum iri.

DE SIGILLO VI.

SIgillum ſextum init, ubi quintum deſinit; id eſt, ab anno Chriſti CCCXI, quo atrox illa decem annorum perſecutio quievit.

Hujus autem Sigilli *caſus* eſt, CŒLI TERRÆQUE MOTUS *admirabilis*; quo mirifica illa per Conſtantinum M. ejúſque ſucceſſores Agni ſigniferos rei Romanæ ethnicæ *mutatio & ſubverſio* figuratur: quâ putà omnes Gentilium Dii cœlo ſuo excuſſi, Pontifices & Sacerdotes exaugurati, dejecti, reditibúſque ſuis in perpetuum exuti; Templa, fana, & delubra Dæmonum per omnem Romanum Orbem conquaſſata, direpta, inflammata, demolita.

Adhæc

Adhæc Imperatores, Reges, Dynastæ, qui Diis suis tam enormiter periclitantibus subvenire, bellum Christi Vexilliferis indicere, ingentibus copiis decernere, etiam prælio superati, bellum vi summâ instaurare, in animum induxerint; inauditis stragibus cæsi, fusi, fugatíque: donec tandem, re desperatâ, nemo ampliùs Religioni Romanæ, tanto fragore ruenti, suppetias laturus reperiretur. Ità breviverborum ambitu complexus mihi videor, quicquid sublimibus istis ad hoc Sigillum allegoriis Spiritus Sanctus depingere voluit. Atq; hoc VICTORIÆ Christi, cujus primo Sigillo jactum erat fundamentum, primum complementum est. cui, quâ Imperii ætate futurum esset, designando, præsignatis temporis, quod interea flueret, discriminibus, quæ hactenus præcesserint Sigilla inservicre. Restat jam, ut datam interpretationem singulis allegoriæ propheticæ partibus applicemus, rationémque ejus ostendamus: id quod faciemus, integro priùs contextu ob oculos posito; qui sic habet. Ad CAP. 6.

12 *Et vidi cùm aperuisset sigillum sextum, & ecce terræ motus magnus factus est, & Sol factus est niger tanquam saccus cilicinus, & Luna* [*tota*] *facta est sicut sanguis.*

13 *Et stellæ cæli ceciderunt in terram, sicut ficus abjicit grossos suos, cùm à vento magno commovetur; receßitq; cælum sicut liber qui convolvitur.* 14 *Et omnis mons & insula de locis suis motæ sunt.*

15 *Et reges terræ & magnates & tribuni, & divites & potentes, & omnis servus & liber absconderunt se in speluncis, & in petris montium.* 16 *Et dixerunt*

Ad Cap. 6.

montibus & petris; Cadite super nos & abscondite nos à facie Sedentis super thronum, & ab IRA *AGNI.* 17 *Quoniam venit* DIES MAGNUS IRÆ EJUS, *& quis poterit stare?*

Solennes sunt istæ horridiorum cladium & rerum, ut ità loquar, susque deque conversionis imagines, Prophetis de more Orientis usitatę; ut nostris quoque Poetis sua sunt schemata, suæ picturæ. Ità Jeremias cap. 4. 23. &c. excidium Judęæ depingit, ac si omnia iterum in antiquum chaos reditura essent. *Aspexi terram*, inquit, *& ecce* תֹהוּ וָבֹהוּ *inanis erat & vacua; & cœlos, & non erat lux in iis. Vidi montes, & ecce movebantur, & omnes colles conturbati sunt.* Vide cætera. Similiter Joel cap. 2. 10. de horrenda ejusdē vastatione ab exercitu Locustarum Aquilonarium. *A facie ejus*, inquit, *contremuit terra, moti sunt cœli, Sol & Luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum.* Sed distinctiùs agamus de singulis.

Majemonides. More Neb. Part. 2. cap. 29. Arabes, de eo, cui singulare aliquod infortunium accidit, dicunt quòd *Cœlum ejus in Terram conversum sit, vel super Terram ejus ceciderit.* Confer. Thren. 2. 1.

Ecce, inquit, *Terræ motus magnus factus est.* Græcè σεισμὸς, id est, *Cœli terræq; motus*, ut in sequentibus palàm est. vox enim Latina Græcæ vim non adæquat. *Terræ motus* autem istiusmodi, teste Apostolo, Heb. 12. de loco Haggæi [*Adhuc semel & ego commovebo cœlum & terram*] denotat τῶν σαλευομένων τὴν μετάθεσιν, *mutationem eorum quæ commoventur.* Quod firmari potest ex eodem Haggæo, vers. 21 & 22 ejusdem capitis, ubi ipse hanc parabolam, de regnorum mundi mutatione & conversione ἐξηγητικῶς interpretatur: *Ego commovebo cœlum & terram, & subvertam solium regnorum, & disperdam fortitudinem*

nem regnorum Gentium, &c. Nos igitur, ut alibi in Apocalypsi, ità hîc quoque *Terræ Cælique motum*, pro rerum ruina, & quasi susq; deque mutatione accipiemus. Ad Cap. 6.

Jam verò Mutationis hujusce, perinde ut priorum quoque sub Sigillis casuum, Objectum est Imperium Romanum; at non quà politicè à Cæsaribus gubernatum (hac enim sui formâ nondum solvendum est;) sed quà Satanæ Principi, ejúsque Angelis Dæmonibus, religioso nomine subditum. Hanc scilicet Imperii Romani Dæmonarchiam, quæ hoc Sigillo tempestas incumbit, maximo cum fragore eversum atque dissipatum ibit.

Et Sol factus est niger ut saccus cilicinus, & Luna facta est ut sanguis. id est, per ellipsin adjectivi, *rubicunda ut sanguis:* Periphrasis autem est deliquii Luminarium, in quo Sol ater apparere soleat, Luna verò rubicunda. Cui planè geminum est illud Isaiæ cap. 13. 10. de vindicta Babylonis: *Obscurabitur Sol in ortu suo, & Luna non splendere faciet lumen suum.* Septuag. Καὶ ἡ σελήνη ὐ δώσει φῶς αὐτῆς, ut Matth. 24. 29. Nec alium omnino sensum habet, juxta Aben Ezræ sententiam, illud apud eundem cap. 24. de clade, quâ Dominus in Jerusalem regnaturus (prorsus ut in hoc Sigillo) *visitaret militiam cæli in excelso & reges terræ in terra. Erubescet,* inquit, *Luna, & pudore suffundetur Sol* (id est, uterque, quasi pudore vultum tegeret, tenebris obducetur) *cùm regnabit Dominus exercituum in monte Sion & in Jerusalem & in conspectu senum suorum glorioſe.* Sed quid hæc, inquies, ad Dæmonarchiam Romanam? Auscultа, & dicam. Prophetis (ut in sequentibus quoque Visi-

Ad CAP. 6. Fuisse gentibus Orientis solenne *Mundi* parabolam rebus pingendis adhibere, vel ex Chymica philosophia ab Arabibus & Ægyptiis profectâ, constare potest, in qua quodlibet ferè corpus mundanũ, mundo assimilatum, ex cœlo, terra & astris conflatum perhibetur.

onibus subindè audies) omne Regnum & Corpus imperii, *Mundum* refert; ut partes quoque, *cælum*, *terra*, *stellæ* pro illa imagine sint. cui evincendo (ut alia taceam) vel unicus ille locus apud Isaiam sufficit, cap. 51. 15. *Ego sum Dominus Deus tuus, qui divisi mare* (mare autem rubrum) *& personuerunt fluctus ejus, Dominus exercituum nomen ejus. Et posui verba mea in ore tuo* (id est, legem meam tibi dedi) *& umbrâ manûs meæ protexi te; ut plantarem cœlos & fundarem terram* (id est, Te regnum, ceu Mundum politicum, constituerem) *& dicerem Sioni, populus meus es tu.* Sermo est de liberatione, quâ liberavit Deus populum Israeliticũ ex Ægypto, ut ex eo sibi Regnum sive Rempublicam conderet in terra promissa. Ex quo, quid sit quoque apud eundem (cap. 65. & 66.) *Cælum novum* & *Terra nova*, haud difficile erit colligere; nempe *novus ejusdem rationis mundus.* Pro hac igitur imagine, *Cælum* notione propheticâ denotabit, quicquid in Regni aut Reipublicæ alicujus universitate, ceu Mundo politico, celsum est; *Terra* contrà, quod infimum: *Stellæ* verò eos, qui in Celsitudine ista locum obtinent obeúntque. Quâ ratione *Sol* & *Luna*, præcipua cœli lumina; iste primam summámque, hæc à prima proximam regni *Majestatem* & ἀξίωμα indicabit. Quod quidem adeò verum est, ut Paraphrastes Chaldęus in Prophetis subindè pro *Sole* & *Luna*, *regnum* & *gloriam* substituat, ut Isa. 60. 20. Jer. 15. 9.

Esto igitur SOL in regno idolorum Romano, jure principatûs, *Draco ipse*, seu Satanas; præsertim quum ab eo Spiritus Sanct. cap. 12. totum Imperium Romanum, hoc, de quo agitur, statu, cognominave-

naverit *Draconem rufum ſepticipitem*, ut ibi videbimus. Lunam, ſecundum hujus Cœli luminare, dixeris *Pontificatum Maximum* Majeſtati Imperatoriæ jam ab origine prima annexum, ejúſque quaſi partem; ſeu mavis, *Imperatorem Satanæ Pontificem, cum toto Pontificum collegio*, qui cum Imperatore capite ſuo unum corpus efficiebant, iidémque, & religionibus Deorum & ſummæ Reipublicę præęrant, neque Senatûs, neque ullius ſupra ſe poteſtati ad reddendam rationem obnoxii; * proindéq; in iſtoc Regno non immeritò ſecundas à *Dracone* ipſo habituri. Non ſemper, fateor, opus eſt, ut in hujuſmodi allegoriis tam accurata ſingulorum ratio exigatur; veruntamen, cùm fieri poſſit, ſingula momenta aptemus. Sol igitur, quem diximus, tum niger factus eſt & funeſtæ majeſtatis ſuæ deliquium & obſcurationem paſſus, quando Imperatores Romani, ipſo cum omnibus Angelis ſuis, pompis, & cultu, per Baptiſmum ejuraris, Chriſto *Juſtitiæ Soli* ſeſe addixere. Sole ſic denigrato & lumine ſpoliato, Luna, quę à Sole lumen mutuatur, quî ſalva eſſe poterit? Et rem quidem ipſam, ſive munus Pontificatûs Maximi, ſtatim, ut æquum erat, à ſe abjecerunt Conſtantinus, Conſtantius, Valentinianus, Valens, nolentes deinceps Diabolo operari: nomen tamen, quod mireris, non illico aſpernati ſunt, ſed elogiis ſuis aſcriptum aliquantiſper retinuere. Primus Gratianus (bonum factum!) titulum quoque & ſtolam Pontificalem ſibi pro more à Pontificibus oblatam reſpuit, tanquam indigna homine Chriſtiano. Quæ quidem mutatio tanti fuit, ut Cæſarem Romanum, Pontificatu ſic exutum, Spiritus Sanctus deinceps

Ad Cap. 6.

Cicero in Orat. pro Domo ad Pontif.

* Dionyſ. lib. 2.

Zoſim. l. 4.

Ad Cap. 6. pro novo quaſi Beſtiæ Romanæ capite & rege habiturus ſit, ut Cap. 17 audiemus. Atqui adhuc LUNA iſtæc nonnullo lumine, quamvis triſti & imbecilli fulſit; donec & ipſum Collegium Pontificum cum omni reliqua Sacerdotum turba ſuſtulit malleus ille Ethniciſmi Theodoſius primus; uno edicto omnium reditibus fiſco applicatis. Jam igitur tempus erat, ut alium ſibi Pontificem M. Satanas quæreret. Sed pergo ad reliqua.

Et ſtellæ cæli ceciderunt in terram, ſicut ficus abjicit groſſos ſuos, cùm à vento magno commovetur; receſſitque cælum ſicut liber qui convolvitur.

Vel *Cælum evanuit, &c.* id eſt, ſtellæ cœli diſparuere, quemadmodum literæ evaneſcunt, libro, veterum more, convoluto. Ellipſis enim eſt utrobiq; prioris ſubſtantivi Hebraiſmo familiaris, ut Deut. 20.19. 2.Reg.18. 31. & alibi paſſim. ità ut hoc de cœli diſparitione, & illud de ſtellarum caſu, mutuò ſeſe explicent; neque ab invicem ſejungi, ut perperam diſtinctum eſt, ſed eodem commate includi debuiſſent. Integer autem locus deſumptus ex Iſaiæ cap.34.v.4. ubi eâdem planè imagine, ſed inverſo ordine, depingit Spiritus Sanctus cladem & ruinam regni Edomitici, quâ hîc regni Idolorum. *Convolventur*, inquit, *ſicut liber, cæli, & totus exercitus eorum* (id eſt, ſtellæ) *decidet ut folium è vite, & ut deciduus groſſulus è ficu.* cujus ſententiam aliquantò clariorem reddere voluit Spiritus Apocalypticus duplici verborum additamento; illinc τῦ ἀπεχωρίσθη, hinc ἀπὸ μεγάλυ ἀνέμυ σειομένη. Porrò de eadem ruina Edomitica, haud mitioribus, quàm Iſaias, circumſtantiis agunt Obadias, Jerem. 49. à verſu 7. ad 22. Ezech.

zech. 35 per tot. & 25. 12. quod idcirco moneo, nè quis Isaiæ descriptionem, non nisi magno illi universalis judicii Diei convenire putet. Jam verò, ut ad Apocalypsin redeam, STELLÆ Cœli Deastrorum Romani fuere, tum *Dii ipsi*, Regni istius sub Satana principe suo Summates, tum inferiori licèt gradu proceres *Sacerdotes*: namque & stellæ stellis gradibus & sublimitate differunt. Hi ergò sunt, qui in motu hoc mirabili rei Romanæ, sedibus suis excussi, ceciderunt in terram, ficut ficus abjicit grossos suos, quum vento magno concutitur. Ad CAP. 6.

Neque hanc de Diis & Deorum Sacerdotibus STELLARUM interpretationem usq; adeò mirabitur, qui meminerit, tum Deos gentium passim in Scriptura sacra *exercitum cæli* audire, tum apud Danielem, *Terræ decoris* seu populi Israelitici Sacerdotes & primores, quos Antiochus Epiphanes in terram dejecerat, isto nomine appellari. *Magnificavit se*, inquit, *adversus exercitum cœli, & dejecit in terram de exercitu & de stellis, & conculcavit eas.* Quod ille impiè in populo Dei veri, hoc ipsum piè fecerunt Imperatores Christiani in populo Draconis; eo tamen discrimine, quòd illic unus tantùm fuit exercitûs cœli princeps, JEHOVA, qui fecit cœlum & terram. contra quem, ut fese Antiochus magnificare potuit, cœlo tamen deturbare non potuit, hic autem in CŒLO Romano plurimi fuere principes sive Dæmones, quos in universum omnes Imperatores Christi signiferi deturbavêre. Adde quòd firmetur hæc expositio Synchronissimo Draconis de cœlo cum satellitio suo dejecti cap. 12. *Draco pugnabat & Angeli ejus, sed non prævaluerunt, neque locus eorum amplius*

Ad Cap. 6. *plius inventus est in cælo. Nam dejectus est Draco ille magnus, qui vocatur Diabolus & Satanas, & Angeli ejus* (id est, Dæmones Deorum nominibus culti) *cum eo, &c.*

Sequitur, *Et omnes montes & insulæ locis suis emotæ sunt.* Possent fortasse *Montes* & *Insulæ* de celsioris & humilioris conditionis hominibus accipi, qui statim proximo versu enumerantur, nisi *Insulæ* nomen minùs huic interpretationi faveret. Magis igitur probandum videtur, siquidem hâc eatur, ut utrumq; celsioris conditionis homines designet, quòd utrumq; emineat; montes in terra, insulæ in mari. Sed quid si *Insulas* hîc intelligamus, non *terras* in medio aquarum eminentes, quinimò *ædes*, cujusmodi dictæ sunt, quæ circuitu publico privatóve cinctę, communibus cum vicinis parietibus non utebantur? Utrumq; deinde, tam *Montes* quàm *Insulas*, de Templis & delubris idolorum, hoc turbine per Orbem Romanum disturbandis, accipiamus? Quàm enim hujusmodi interpretationi prona sit *Montium* notio, nemo non videt; cui modò ignotum non sit, idololatris id in more positum, in editioribus ejusmodi locis Aras & Delubra Diis suis extruere. Unde passim in V. T. nomen *Excelsorum* frequentatum; imò Jerem. 3. 23. ipsorum *Collium* & *Montium* de Sacellis idolorum. *Verè*, inquit, *mendaces erant colles & multitudo montium*, &c. Jam neq; *Insulæ* pro *ædibus*, ab hujusmodi interpretatione abhorrent; quandoquidem Templis id vel maximè proprium est, ut sint instar insularum; neque communione, vel etiam contactu parietum aliarum ædium polluantur. Sin illud fortè non placuerit, ut unum idémq; duobus nominibus figuretur,

tur, *Montes*, ſi vis, & ſi placet, de Sacellis ruri & in agris; *Inſulas* de Templis idolorum in urbibus accipito. Sed in hiſce talibus minutiæ ejuſmodi ſatagendæ non videntur; ut neq; fortaſſe in univerſum, quævis allegoriarum propheticarum momenta tam ſolicitè ad eventum exigenda. ſat eſt, ſi ſumma rei utrobiq; conveniat. Ad Cap. 6.

Facta eſt autem hæc Delubrorum & Templorum demolitio, authore eodem piiſſimo Agni ſignifero Theodoſio. Nam Conſtantinus M. Templa deorum tantùm clauſit, non abolevit, niſi Conſtantinopoli & vicinis locis. Julianus iterum aperuit. Hic tandem funditus demoliri juſſit. Hiſtoria cuivis obvia eſt, neq; opus, ut quæ ea de re apud Eccleſiaſticos Scriptores memorantur, hîc aſcribam. Fortè tamen non injucundum erit, Zoſimum hiſtoricum paganum, de hoc tam acerbo Deorum ſuorum fato quiritantem aut indignantem audire. *Deûm*, inquit ille, *ſacraria per omnes urbes & agros oppugnabantur; adeóq; periculum cunctis imminebat, qui Deos eſſe putabant, vel in cœlum omnino ſuſpiciebant, & quæ in eo conſpiciuntur, adorabant.* Sanè, quemadmodum Dominus, veterem Iſraelem de ſervitute Ægyptiaca educturus, *judicium exercuiſſe* dicitur *in Deos Ægyptiorum*; (Exod. 12. 12. Num. 33. 4.) ità hîc populum Chriſtianum à tyrannide Romana liberaturus, judicium exercuit in Deos Romanorum.

Sed nullos, inquies, quando ſic turbatum eſt, & cœlum terræ miſcebatur, habuerunt Dii Atlantes, qui cœlo ſuo ruenti humeros ſupponerent, Chriſtíq; vexilliferis, ſic omnia ſternentibus, contravenirent? Imò verò habuerunt; ſed ſimilem cum Dæmo-

Ad Cap. 6. nibus ſuis fortunam expertos. Nam *reges terræ*, inquit, *& magnates & tribuni, & divites & potentes, & omnis ſervus & liber*, id eſt, Maximianus, Galerius, Maxentius, Maximinus cum Martiniano Cæſare, Licinius, Julianus Imperatores (adde etiam, ſi vis, Eugenium & Arbogaſtem tyrannos) cum omnibus infidelitatis ſuæ ſociis, cujuſcunq; ordinis & gradûs, qui religionem avitam tueri, rei Deorum peſſum eunti ſubvenire, jámque collapſam & perditam reſtituere vi manúque conabantur, eò tandem redacti ſunt anguſtiarum, ut *abſconderint ſeipſos in ſpeluncis & in petris montium; dixerintq; montibus & petris, Cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum & ab* IRA AGNI, *quoniam venit dies magnus iræ ejus, & quis poterit ſtare?* Fœda imago eſt quà fugientiũ & latitantium, quà præ rerum ſuarum deſperatione vitę pertęſorũ. cui ſimilem habes de clade Hieroſolymorum Luc. 23.30. item Hoſ. 10.8. de clade Samarię ejúſq; idolorũ; ſed integram Iſa. 2.18.

Hîc verò Lector illud inprimis obſervet, contineri verbis iſtis Clavem toti viſioni reſerandæ; agi nempe hîc de ſplendida aliqua AGNI *victoria*, quâ hoſtes ſuos clade internecinâ domuit & evertit. Porrò quum AGNUM hoſtem fugiant, hi quorum deſcribitur clades, ſéque *ab ejus ira* occultatos velint; indè liquere poteſt, cladem illam, etiamſi nullo ſynchroniſmo dirigeretur, ad Reges Chriſtianos nequaquam accommodandam eſſe, ſed à Chriſto alienos; proindéque de cladibus à Gothis reliquíſque barbaris nationibus Imperio, jam recèns Chriſtiano, illatis exponi non debere.

Quod verò ultimò addunt Reges, proceres, tribuni,

buni, quíque in eadem cum ipſis cymba fuerunt, gentiles cæteri, *adveniſſe Diem magnum iræ Agni, neminémque ſtare poſſe:* verba ſunt hominum, Chriſti, quem ad hoc uſque tempus præ Diis ſuis contempſerant, potentiam agnoſcentium, irritúmque deinceps fore omnem Chriſtianis obſiſtendi conatum reipſa ſentientium. Et reipſa quidem ſenſerunt omnes: Galerius verò, Maximinus, Licinius, etiam apertâ confeſſione gloriam vel inviti Deo tribuerunt. Ad Cap. 6.

Author enim cum aliis Euſebius, Galerium (à quo Chriſtus in hoc judicio initium fecit) fœdiſſimo & horrendo morbo correptum, quo, vermibus nimirum ſcaturientibus, corpus intolerabili fœtore computruit; conſcientiâ demum ſcelerum, quæ contra Eccleſiam admiſiſſet, perculſum eſſe, Deóque culpam ſuam confeſſum à perſecutione contra Chriſtianos deſtitiſſe, legibúſque & edictis Imperatoriis Eccleſiarum illorum exædificationem maturâſſe, conſuetáſque pro ipſo preces obire mandâſſe; paulóque pòſt animam tantæ, quantæ nullius unquam, in Chriſtianos ſævitiæ ream effudiſſe. Euſeb. de vita Conſtantini lib. 1. cap. 50.

Maximinum hoſtem Chriſtianorum immaniſſimum, magiæ, divinationibus idolorum, dæmonúmque oraculis ad omnia, quæcunque ageret, nixum, à Licinio nihilominus, fidem Chriſtianam adhuc, cum Conſtantino collega, propugnante, ſemel iterúmque victum, abjectis Imperii inſignibus fugiſſe, in agris & vicis aliquandiu ſervili habitu latitâſſe; tandémque Tarſo Ciliciæ incluſum ac furore accenſum, multos ſacerdotes & prophetas Deorum,

Ad CAP. 6. quorum oraculis impulsus bellum susceperat, tanquam præstigiatores, veteratores, denique salutis ipsius proditores, trucidâsse; deinde Christianorum Deo gloriam tribuentem, decretum pro eorum libertate promulgâsse: sed à Deo, pœnas tot scelerum in Christianos exigente, diro & lethali angore subitò perculsum, carnéque universâ pedetentim exesâ & absumptâ, tandémque & oculis, (justâ supplicii, quod in Christianos excogitaverat, talione,) præ æstu, quo totus ardebat, exilientibus; Domino se confessum esse, istáque propter amentiam & temeritatem contra Christum meritò se perpeti agnoscentem, animam efflâsse. vide eundem Histor. Eccles. lib. 9. cap. 8. & 10. & lib. 8. c. 27. Item de vita Constantini lib. 1. cap. 51, 52.

Denique Licinium, Christianorum, quorum partibus sese aliquandiu cum Constantino addixerat, desertorem, déque multitudine Deorum suorum contra unicum illum, eúmque *novitium & peregrinum* (sic enim vocabat) Constantini Deum magnificè apud milites suos gloriantem; duobus prælis ingentibus devictum, (quorum uno, ex exercitu centum & triginta millium, vix triginta millia evaserant) tandem, cùm adhuc quiescere nollet, à Constantino, unà cum suis belli jure condemnatum, debito supplicio addictum fuisse. Quum verò, qui prælii contra Deum suscipiendi authores fuissent, pariter cum tyranno ad locum supplicii adducerentur, sicut antè, spe in Diis vanis locatâ, insolenter sese extulissent: ità nunc Constantini Deum, qualis & quàm admirabilis esset, reipsa intellexisse, húncque verum & solum Deum se agnoscere confessi sunt. De vita Constantini lib. 2. c. 4, 5, 18.

APPENDIX.

Ad Cap. 6.

EX vetuſtis Ægyptiorum, Perſarum, & Indorum monumentis, authoribus Tarphane, interprete Pharaonis; Baramo, Saganiſſæ Perſarum Regis (Diocletiani συγχρόνῳ) Syrbachamo, Regis Indorum, Ὀνειροκριτικὰ, ſeu *Apoteleſmata Inſomniorum* collegit Apomaſar, vel, ſecundum alios, Achmetes F. Seirim Arabs: ut fuit ea gens, cùm iſtiuſmodi artium aliarúmq; jam ab ultima antiquitate ſtudioſiſſima, tum, florente ipſorum Imperio, omnium ubicunq; gentium ſcripta in Arabiſmum transferendi avida. Hunc libellum jam olim Græcè, incertum quo authore, loquentem, ex Jo. Sambuci bibliotheca, Latinè à ſe verſum ſuperiori ſeculo in lucem dedit Joan. Leunclavius. eundem poſteà, anno MDCIII ex Bibliotheca Regis Chriſtianiſſimi Græcum communicavit Nicolaus Rigaltius in Onirocriticis, ſuppletis quæ in exemplari Sambucino deerant. In hoc libello videre eſt, pleraſq; imagines propheticas, quę noſtris hominibus tantum negotii faceſſunt, gentibus Orientalibus familiares, certè in divinationibus non inſuetas extitiſſe. Authorum verò, unde collectio facta eſt, antiquiſſimus omnium videtur Tarphan Ægyptius; ut qui non ſolùm ſe Pharaonis interpretem nuncupet, ſed paſſim in interpretamentis ſuis, pro Rege Pharaonis nomen uſurpet; ut tum vixiſſe videri poſſit, dum adhuc Ægyptus reges ſuos habuit, iidémq; Pharaones dicebantur. Perſa, cum rege ſuo Saganiſſa, Diocletiani, ut dixi, coętaneus fuit. Indus citerioris eſt ævi, ut qui ſe paſſim Chriſtianum prodat: Sed mirus eſt utriuſque cum Ægyptio conſenſus.

Vide Jer. 49. 7. & imprimis Baruch 3. 23.

Ad Cap. 6.

Majemonides. More Neb. Part. 2. cap. 36.

Quum igitur à gentibus iſtis populo Hebræo olim finitimis, moribúſque & ſermonis uſu magis cognatis, verborum & phraſium in ſacris literis uſum haud illibenter diſcamus; cur idem hic in figurarum & imaginum propheticarum ſignificatis (quum juxta Hebræorum magiſtros *deciduum prophetiæ ſit ſomnium*) dedignaremur? Nemo igitur vitio mihi vertat, ſi ex hoc authore aſcribam, quæ ad modò explicatorum Sigillorum figuras intelligendas facere mihi videntur; idem poſtmodum in Tubis, cæteríſq, viſionibus (ſicubi occaſio tulerit) bona cum Lectoris venia facturus.

Primo igitur Sigillo, partim etiam ſequentibus, lucem faciunt iſta.

CAP. CCXXXIII. ex ſententia Indorum, Perſarum, Ægyptiorúmq;. *Equus generoſus qui* PHARAS *dicitur* (Heb. פָּרָשׁ Arab. פַּרַס equus) *in ſomniorum interpretationibus ad eminentiam & dignitatem refertur. Equi vulgares de nobilitate & gloria quadam inferiore accipiuntur.*

Si quis in ſomnis viſus ſibi fuerit Equo agili ac laſciviente vehi; coram populo famam & exiſtimationem ampliſſimam, & eminentiam, & decus inveniet.

Item, *Si quis Equo generoſo vehi viſus fuerit armatus, poteſtatem cum bona fama reperiet pro armorum ratione*

Cap. CCXLIX. juxta Perſarum & Ægyptiorum interpretationes. *Si quis tela cum Arcubus tenuiſſe viſus ſibi fuerit, cum gaudio ſuis hoſtibus inſultabit.*

Plura habet eodèm pertinentia, ut cap. CLII.

ex

ex disciplina Indorum, de magna & longa Equi cauda, significante potestatis comites, & pedissequos; de cauda præcisa, significante tam libertatis quàm principatûs amissionem; si nempe princeps fuerit qui se tali equo vehi somniaverit. Similiter cap. CCXXXIII descensus ex equo, si sponte fiat, de spontanea potestatis diminutione; sin invitè, de successore in dignitatem surrogando exponitur. Ad Cap. 6.

Tertio Sigillo allucebunt ista.

Cap. XV. ex disciplina Indorum. *Si quis in somnis Stateram vel campanum quod vocant* (genus est stateræ) *loco quodam librari viderit; ea de persona Judicis intelligat. Quòd si litem habet, ac inter librandum ea viderit exæquari; jus suum obtinebit.*

Si Stateram æquam purámq; videre videatur, Judicem loci justum esse cognoscat: sin perversas fractásque lances viderit, ejus loci Judicem, quo loco somnium vidit, injustum cogitet.

Item, *Modii quoque cum mensuris eandem proportione interpretationem habent, sed inferiorum Judicum personis accommodantur.*

Sexto Sigillo ista.

Cap. CLXVII ex Indorum, Persarum, Ægyptiorúmque monumentis. Sol *ad Regis personam interpretando refertur, & ad principis à Rege secundi personam* Luna: *Venus ad personam Augustæ, itidem alia maxima sydera ad viros Regis amplissimos.*

Hæc dum lego, parùm abest, quin existimem, titulum

Ad Cap. 6. tulum istum famosum Saporis Regis Persarum, in literis suis ad Constantium Imperatorem datis [REX REGUM SAPOR, *particeps Syderum, frater Solis & Lunæ, Constantio Cæsari fratri meo salutem*] quem Ammianus Marcellinus fastui Persico deputat, haud aliud fuisse, quàm stylum genti vernaculum ex hujusmodi imaginibus natum. Quod eò minùs mirum cuipiam videri debeat, quum etiam feciales nostros videamus, Imperatorum & Regum insignibus enunciandis, *Solis, Lunæ,* reliquorúmque planetarum nomina adhibere. Huc quoque referendum Jacobi interpretamentum somnii Josephi filii sui, de *Sole, Luna, & undecim stellis ipsum adorantibus*. quod ille protinus, tanquam parabolarum Orientis minimè ignarus, familiæ suæ applicat; *Solem* & *Lunam* de se & uxore, ceu Rege & Regina; *Stellas* de filiis, tanquam Familiæ proceribus, interpretando. Genes. 38. 10. Sed ad Achmetem nostrum redeamus. pergit autem ille eodem capite.

Si quis Solem in cælo luce radiisque carentem videre visus fuerit, ad personam Regis calamitas, ἀδοξία spectat.

Si cui Sol defecisse visus fuerit, ea res afflictionem & bellum Regi portendit.

Si quis videre visus fuerit Solem nube tectum, in afflictionem & in morbos, pro occultationis modo, Rex incidet.

Si quis absque lumine Solem, Lunam & Sidera congregata videre visus fuerit; si de magnatum numero est, propter istas tenebras omnino ruet in interitum; si Rex est, circundatus ab universis bello petetur, & magnam in afflictionem incidet.

Cap.

Cap. CLXVIII ex obſervationibus Perſarum & Ægyptiorum. *Si quis ſidera perexiguo prædita lumine, disjecta & ſparſa, caliginoſâque videre viſus fuerit: hoc ad Nobilium & opulentorum calamitatem & ad Regis præſides refertur.* Ad Cap. 6.

ABſoluto Sigillo ſexto, protinus ad ſeptimum ſeptuplici plagâ fœcundum ordine pergendum foret; ut quod cum ſexto continuo nexu cohæreat. Sed Spiritus Sanctus certo conſilio gradum pauliſper ſuſtinendum duxit: donec Cœtûs cujuſdam ei contemporantis ſtatum ob oculos poneret, ſub plagis ejus, cùm incolumis futuri, tum etiam ſuperaturi. Ei igitur Viſioni priùs interpretationis, quam poſſumus, facem præferemus. deinde cœptum Sigillorum ordinem continuabimus.



VISIO
COETUS SERVORUM DEI, SIVE ECCLESIÆ ELECTÆ ET FIDELIS, SUB
septimi Sigilli ſive Tubarum ruinis
conſervandæ, exhibita
typo
CXLIIII M EX OMNIBUS TRIBUBUS ISRAELIS SIGNATORUM, INEUNTE
Sigillo ſeptimo.

BIs ponitur SIGNATORUM Viſio. primò hîc ineuntibus Tubis, in Prophetia prima; iterum, ceu Beſtiæ rerum pòtiuntis Ἀντίτυπον, in Prophetia ſecunda, c.14. duplici etiam reſpectu; hîc quà conſervandorum ſub Tubarum ruinis; illîc quà collaudandorum ob fidem Deo & Agno ſervatam, quum cæteri Orbis incolæ deſertores & transfugę, Beſtię characterem accepiſſent. Ex quo liquidò apparet, vaticinium Beſtię Tubarum rebus contemporare. quouſq; autem, aliunde judicandum eſt; nempe non ultra Tubæ ſextæ exitum, quo Beſtiæ menſes cum Teſtium lugentium diebus finiuntur, cap. 11. 14. Nobis in præſenti inſtitutum eſt, priori Signatorum Viſioni, quâ de iiſdem conſervandis agitur, faculam interpretationis allucere. de collaudandis poſtea, quum eò ventum. Ad Cap. 7.

Ad Cap. 7.

Postea, inquit (id est, sexti Sigilli visione transactâ, septimóque, quod Tubarum est, jam inituro) *vidi quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terræ retinentes quatuor ventos terræ, nè flaret ventus super terram, neque super mare, neq; in ullam arborem.*

Sensus est. vidit Angelos qui præessent ventis, id est, bellorum & calamitatum procellis, quacunq; ex mundi plaga prodituræ essent, quousq; Deo visum, coercendis; ad ejus verò nutum, signum siquando daret, in Orbem terrarum laxandis: non quidem eosdem cum Tubarum Angelis, sed qui ad illorum tamen sonitum *Ventos istos*, modò ex hac, modò ex illa mundi parte laxaturi essent, rei Romanæ dissipandæ ac prosternendæ. *Ventorum* enim parabola apud Prophetas *motus bellicos*, & *hostiles impetus* atq; *impressiones* designat, ut Jer. 49.36. *Inducam super Elam quatuor ventos à quatuor plagis cæli; & ventilabo eos in omnes ventos istos, & non erit gens, ad quam non perveniant profugi Elam.* Vide cætera. Item cap. 51.1. *Ecce ego, dicit Dominus, excitabo super Babel, &c. ventum corrumpentem. Et emittam in Babel ventilatores, & ventilabunt eam, & evacuabunt terram ejus.* Adde quoque cap. 18. 17. *Sicut ventus Orientalis dispergam eos* (id est, Judæos) *coram inimico*; hoc est, Rege Babylonis. Huc quoque referendum videtur illud Danielis cap. 7. 2, 3. *Ecce quatuor venti cæli pugnabant in mari magno; Et quatuor Bestiæ grandes ascendebant de mari:* id est, ex gentium undiq; bello ferróq; inter sese concurrentium, de ditionéq, & imperio concertantium conflictu, nata sunt quatuor Regna magna.

Et

Et vidi, inquit, *alium Angelum aſcendentem ab ortu Solis, habentem ſigillum Dei vivi:* (fortè igitur Chriſtus Dominus eſt) *& clamavit voce magnâ quatuor Angelis, quibus datum eſt,* (ventos nempe laxando, quos retinuerant) *lædere terram & mare, dicens, Nè lædite terram, neq; mare, neq; arbores, quouſq; ſignaverimus Servos Dei noſtri in frontibus ſuis.* Ad Cap. 7.

Id eſt, ventos nè laxetis, neve iiſdem in Orbem eundi, furendi poteſtatem faciatis. Terram autem, mare & arbores nominat ventorum imagini congruenter; utpote quibus venti damnum inferre ſoleant; terræ, ædificiorum ruinis; mari, naufragiis; arboribus, ſtrage & laceratione multifariâ. *Suſtinete*, inquit, *quouſque ſignaverimus ſervos Dei noſtri in frontibus ſuis.* Id eſt, notâ impreſſâ diſcreverimus, ceu electum Dei cœtum, in quem perditoribus iſtis ventis, reliquam hominum ſocietatem in exitium daturis, nihil juris ſit: ſed cui, ſigillo ſuo animadverſo, providentia divina jugiter invigilaret, nè hac rei Romanæ ruinâ, quam afferrent Tubæ, ſancta ipſorum progenies extingueretur. Ità enim rem comparatam fore, ut neq; impunè laturi ſint qui læſerint, tanquam juris à Deo conceſſi limites tranſgreſſi; porrò damnum, ſi quod datum fuerit, à Deo protinus reſarciretur. Alluſum verò eſt ad locum Ezechielis cap. 9. ubi ab Angelo ſignantur ſuſpirantes, & exclamantes propter abominationes Jeruſalem, ad hoc, nè parem cum impiis & reprobis cladem à percuſſoribus ſuſtineant.

Et ſanè, eventum quod attinet, ſi quis temporum, de quibus hîc agitur, ſtatum perpenderit; miraculi inſtar videbitur, fieri potuiſſe, ut Imperio Rom. tanta cum

Ad Cap. 7. urbium atque incolarum ſuorum ſtrage, diſſipato & deſtructo; ità ut, veteribus incolis propemodum extinctis, à barbaris & à Chriſto alienis gentibus habitaretur: Eccleſia tamen ibidem in mediis hiſce malis, & quaſi mundo in caput ipſius corruente, perennaret; imò etiam, Beſtiâ eodem tempore (ut ſuo loco audiemus) univerſum Chriſtianiſmum cultu idololatrico inceſtante, cœtum nihilominus (qualis hic eſt) illibatum, eóq; nomine Deo curæ, in ſinu ſuo foveret. Tanti erat Dei ſignaculo munitam fuiſſe.

Et audivi, inquit, *numerum ſignatorum; centum quadraginta quatuor millia ſignati ſunt ex omnibus tribubus filiorum Iſrael*, id eſt, duodecies duodecim millia, ex ſingulis tribubus duodena millia.

Quemadmodum enim initio, Theatrum Viſionum ſeu Conſeſſum Apocalypticum pro veteris Synagogæ imagine ſtatúque deſcriptum vidimus; magnáque pars hujus libri typorum eodèm ſpectat; adeò ut etiam Pſeudochriſtiani in Epiſtolis ad Eccleſias ea de cauſa Pſeudojudæi audiant: ità quoque hîc Eccleſia gentium catholica, ſigillo Dei munienda, figuratur typo Iſraelis; duodecim illius Apoſtolis totidem hujus Patriarchis commodè reſpondentibus. Nec id quidem immeritò fit, cùm alias ob cauſas, tum maximè, quòd Eccleſia, quæ indè à rejectione Judæorum hucuſque ex Gentibus colligitur, in Iſraelis vicem ſucceſſerit, ſítq;, ut ità loquar, *ſurrogatus ISRAEL*; eóque loco apud Deum tantiſper habenda, dum, veteri populo ſuo denuo miſericordiam conſecuto, *plenitudo gentium* introierit; id eſt,

Turba

Ad Cap. 7.

Turba illa innumera ex omnibus gentibus, tribubus, populis & linguis, quam finitâ demum Iſraelis hujuſce ſignaturâ, Joannes ſe vidiſſe teſtatur laudes Deo & Agno concinentem. Hoc enimvero illud eſt, (de ſurrogatione loquor) quod Apoſtolus Paulus docere voluit ad Rom. c. 11. dum inculcat, *ruinam Judæorum ſalutem attuliſſe Gentibus, & eorum abjectionem fuiſſe reconciliationem mundi.* Non quòd aliter Gentes ſuo tempore vocandæ non fuiſſent, (quum totus Prophetarum chorus clamet, Gentes ad gloriam Iſraelis aggregandas, & ad Dominum convertendas fuiſſe; quod neq; ipſi Judæi jam olim, neq; hodie diffitentur:) ſed quòd non hac, quæ per anticipationem, ſurrogationem, & ad zelotypiam facta eſt, vocatione, niſi Judæi Chriſto renunciâſſent. Intelligens ſciet, quid velim. *Vobis neceſſe fuit*, inquit Apoſtolus Act. 13. *primùm exponi Verbum Dei: poſtquam autem ipſum repellitis, & indignos vos ipſos decernitis æternâ vitâ, ecce convertimus nos ad Gentes.* De Gentium verò converſione anticipata (id eſt, quæ Judæorum inſtaurationem præcederet) accipiendum videtur (ut hoc quoque moneam) teſtimonium illud Amoſi à Jacobo in Concilio Apoſtolorum Act. 15. laudatum; eóque fortaſſe nomine cæteris, quæ de Gentium in populum Dei cooptatione aliàs haberi potuiſſent, vaticiniis tunc prælatum. Innuit enim, non tantùm *nomen Domini ſuper gentes invocandum fuiſſe* (id eſt, futuras ei Gentes in populum) ſed etiam illud ex parte tunc futurum, dum adhuc *tabernaculum Davidis collapſum* jaceret, id eſt, regnum Iſraelis nondum per Chriſtum inſtauraretur. *Poſthæc*, inquit, *revertar & reædi-*

Ad Cap. 7. *reædificabo tabernaculum Davidis collapsum, & diruta ejus reædificabo, & erigam illud: ut requirant cæteri hominum Dominum, & omnes gentes super quas* ἐπικέκληται *invocatum esset nomen meum.* hoc est, ut reliquiæ hominum, unà cum gentibus istis super quas jam antea nomen meum invocatum esset, tum demum me verum Deum requirerent, & colerent. Pro eo enim quod nunc in textu Hebraico habetur: לְמַעַן יִירְשׁוּ אֶת שְׁאֵרִית אֱדוֹם id est, ὅπως ἂν κατακληρονομήσωσι τὸ κατάλοιπον τῆς ἐδωμαίας, olim scriptum lectum videtur, לְמַעַן יִדְרְשׁוּ אֵל שְׁאֵרִית אָדָם id est, ὅπως ἂν ἐκζητήσωσι οἱ κατάλοιποι τῶν ἀνθρώπων τὸν Κύριον. Quinimo ex Hebraica lectione quæ nunc obtinet, idem de anticipata gentium in Dei populum cooptatione colligi posse videtur; nempe isto sensu: Judæos reduces, tum quum tabernaculum Davidis collapsum denuo instauraretur, reliquias Edom, necnon gentes super quas nomen Domini jam antea invocatum esset, hæreditario jure adituros. ergò gentium aliquas in Dei populum futuras ante instaurationem tabernaculi Davidici. Sed de istis satís.

Numerum signatorum quod attinet, Duodenarius numerus Apostolici generis insigne est; qui tribuum tam singularum, quàm universarum millenos multiplicando progeniem denotat Apostolicam; progeniem putà, licèt in plures millenos auctam, minimè tamen degenerem, sed parentes suos fide & sanctitate exprimentem. Nimirum, quemadmodum Bestiæ numerum habere (ut postea audiemus) gentem Bestianam seu Bestiæ sectatricem: ità & Apostolorum numerum gerere, legitimam Apostolorum sobolem designat. Hanc esse duodenariæ illius

lius multiplicationis verissimam mentem, ostendit analogia novæ Jerusalem; in cujus structura, & dimensionibus portarum, fundamentorum, areæ, murorum ambitûs, longitudinis, latitudinis, altitudinis idem duodenarius numerus, aut duodenaria multiplicatio adhibetur. Et nè ampliùs hæsitaremus, duodenarius iste quorsum tandem respiciat: ecce de duodecim muri fundamentis disertè dicitur, quòd inscripta fuerint *nominibus duodecim Apostolorum Agni*, Cap. 21. 14. Ad Cap. 7.

Ex tribu Judæ, ex tribubus Reubenis, Gad, Aseris, Nephthali, Manaßis, Simeonis, Levi, Jsacharis, Zabulonis, Josephi, Benjaminis, ex singulis signata sunt duodecim millia.

Nusquam alibi in tota Scriptura hoc ordine Tribus recensentur, etiamsi aliàs numerentur diversimodé. Præterquam enim, quòd *Dan* prorsus non compareat, neque *Ephraimi* nomen audiatur; in cæteris ab omnium, quæ alibi habentur, recensionum lege disceditur, neque aut nativitatis, aut dignitatis natalium, aut habitationis ordo servatur; sed extremæ permiscentur mediis, & ancillarum filii natu minores semel atque iterum majoribus natu uxorum liberis pręponuntur: ut minimè dubitandum sit, quin præcipuum aliquod Typi mysterium in ordine tam novo ac insolito lateat. Hoc, Deo cœptis adspirante, aliquatenus eruisse videmur; nempe hujusmodi.

Primùm, ab hoc typo abjicitur *Dan*, tacetur *Ephraim*, tanquam ἀποστασίας Israeliticæ antesignani & primipili (Jud. capitibus 17 & 18) iidémq; tempore Regni, publicorum idolorum Dane & Bethele hospites;

Ad Cap. 7.

ſpites; propterea religionis purioris cultoribus figurandis omnino inepti.

Ut autem nihilominus duodenarius numerus compleatur, pro *Dane Levi* ſubſtituitur, tacitum *Ephraimi* nomen ſupplet *Ioſephi*.

Numero ſic conſtituto, uxorum & ancillarum filii, inſuper habitâ natalium dignitate, permiſcentur, ac ancillarum liberi in Dominarum adoptantur. In Chriſto enim *neq; ſervus eſt, neq; liber*, ſed omnes unius rationis ſunt.

Quum igitur Leę filii, quà naturales, quà adoptivi, duplo plures ſint quàm Rachelis; illius nempe octo, hujus tantùm quatuor: proinde ordo iſte in recenſendo obſervatur, ut duplâ quoque ratione quaterni Leæ filii alternatim cum binis Rachelis conferrentur: utrobiq; autem eæ Tribus reliquis, tanquam potiores, præferantur, quas factum aliquod ſuum aut ſuorum, in ſacris literis memoratum, de vero Dei cultu, & erga eundem zelo commendaverat. Primum verò agmen ducit proſapia Leæ propter Chriſti, Principis Cœtûs, prerogativam, ex ejus utiq; ſtirpe oriundi: hoc modo.

Primus quaternio filiorum Leæ	1	Juda	Alterquaternio filiorum Leæ	7	Simeon
	2	Reuben		8	Levi
	3	*Gad*		9	Iſachar
	4	*Aſer*		10	Zabulon
Prima biga filiorum Rachel's	5	*Nephthali*	Altera biga filiorum Rachelis	11	Joſeph
	6	Manaſſe		12	Benjamin.

Ratio ordinis filiorum Leæ.

Ex Leæ, ut vides, filiis primum quaternionem conſtituunt *Juda, Reuben Gad, Aſer*, utpote præ

cæte-

cæteris eo nomine, cui typus figurando eſt, nobilitati. Ad Cap. 7.

In iſtis primus locus, ut par eſt, tribuitur *Judæ*, ob Chriſtum Regem fidelium eâ tribu proſeminatum.

Secundus *Reubeni*, quem illuſtris illa proteſtatio de altari μνημοσυνικῶ ad Jordanis ripam extructo nobilitavit; quáque meruit, nè nativitatis prærogativam (primogenitus enim fuit) alii, quàm Judæ, tribui regiæ ſubmitteret.

Tertium locum ſortitur *Gad*, utpote Reubenis in celebri iſta proteſtatione de vero Dei cultu retinendo ſocius; & porrò Eliâ Prophetâ, & Jehu Rege, Baaliſmi deſtructoribus, inſignis.

Quartum deniq;, & in hoc quaternione noviſſimum locum capeſſit *Aſer*, viduâ Sareptanâ, quæ Eliam pavit, illuſtris, (nam ad Aſeris ſortem ſpectavit Sarepta) necnon Annâ Prophetiſſâ Aſeritide, quæ Chriſto, quum in Templo juxta legem ſiſteretur, teſtimonium perhibuit, nobilis; ſed tribus præcedentibus, quòd utraq; fœmina eſſet, nequaquam comparandus.

In ultimum quaternionem rejiciuntur *Simeon, Levi, Iſachar, Zabulon*; nempe aut nullis, aut pauciores nominibus condecorati, aut, ſi quæ habuerint, ſcelere aliquo poſtmodum obliteratis. Siquidem *Levi* zelum, quo ſe in deſerto probavit, (ut taceam de ſeditione Korachi) obliteravit ejus cum apoſtatis & idololatris Iſraeliticis indè ab initio conſortium. Tam enim Michæ Ephraimitæ, quàm furibus Danitis, primis à morte Joſuæ idololatris, Jonathan Levites Moſis nepos operam ſuam in idolorum cultu con-

Ad Cap. 7. condixit, Jud 17.10. & 18.30. Fieri etiam potest, ut *Levi* in postremum quaternionem detruserit substitutio in locum Danis.

Porrò, quum nihil habeant hujus quaternionis fratres, quo alii aliis præcellant: ideo nativitatis ordinem servant immutatum, & quo quisque ordine natus est, juxta eum recensetur.

Ratio ordinis filiorum Rachelis.

Inter RACHELIS autem posteros familiam ducit biga *Nephthalis* & *Manassis*; agmen claudunt *Joseph* & *Benjamin*. Præferuntur *Nephthali & Manasse*; quia ille, ut Baraco Siseræ Cananæi debellatore, ità Hiramo instrumentorum, & supellectilis Templi Dei artifice ex patre Nephthalita; (1. Reg. 7.14 cum Chron. 2.14) sed & majori adhuc nomine (de quo postea) inclytus: hic Gideone Baalis subversore, & Elisæo Prophetâ nobilis fuit.

Nephthalim verò, licèt ancillæ filium, supra *Manassen* extulit gloria incolatûs Christi. qui utique munus suum orsurus, in nobilissima Nephthaliticæ sortis urbe, totiúsque Galilææ metropoli Capernaum, domicilium & prædicationis suę sedem fixit: unde tanquam ex urbe Episcopali totam Galilæam cum Apostolis suis semel iterúmque obivit, in omnibus synagogis & vicis docens Evangelium regni & miraculis sanationum coruscans. Id enim, Lector, ex Evangelica historia notes velim (quia multos fugit) Servatorem nostrum, omni tempore quo in terris versabatur, in Galilæa habitâsse; in Judæa verò, præcipuâ tum gentis tum tribûs suæ sede, non nisi festis temporibus conspectum fuisse. Hócque illud esse, quod Isaias jam olim prædixerat (Isa. 9.

Matth.

Matth.4.14.) *Consiliarium illum admirabilem, Deum fortem, Authorem æternitatis* (Septuag. Πατέρα τοῦ μέλλοντος αἰῶνος) *Principem pacis*, uno verbo MESSIAM, Galilæum futurum; & quasi in compensationem & solatium captivitatis, quam prima omnium Terræ sanctæ regionum ab Assyrio tum recèns Galilæa pertulerat, (2.Reg.15.29.) illum præcipuè tractum præsentiâ suâ illustraturum; in specie autem viam illam publicam, dictam VIAM MARIS, quò loci ex Syria veniens Jordanem per mediam Capernaum transit, indéque secundum Mare Galilææ pergens in Ægyptum ducit. Audiamus ipsum:

כְּעֵת הָרִאשׁוֹן הֵקַל אַרְצָה זְבֻלוֹן וְאַרְצָה נַפְתָּלִי
וְהָאַחֲרוֹן הִכְבִּיד דֶּרֶךְ הַיָּם עֵבֶר הַיַּרְדֵּן גְּלִיל
הַגּוֹיִם הָעָם הַהֹלְכִים בַּחֹשֶׁךְ רָאוּ אוֹר גָּדוֹל יֹשְׁבֵי
בְּאֶרֶץ צַלְמָוֶת אוֹר נָגַהּ עֲלֵיהֶם

Quod, distinctione vulgatâ posthabitâ, sponte & ad literam ità sonat. *Sicut tempore primo vilem reddidit terram Zabulon & terram Nephthali*; (utique, ut dixi, per Tiglathpeleserem) *ità in novissimo glorioſam* [*& inclytam*] *facict. Via* [enim] *Maris* (ab Assyrio calcata) *ad transitū Jordanis* (ibi Capernaum sita) *Galilæa gentium, populus qui ambulabat in tenebris* (nempe afflictionum) *vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis lux exorta est, &c.* Vin' scire unde, & quo authore ità beabitur Galilæa, in eáque via illa maritima, ubi trajectus est Jordanis? statim subjicit, *Quia parvulus natus est nobis, filius datus est nobis, & erit principatus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater æternitatis, Princeps pacis.*

Verba autem illa כִּי לֹא מוּעָף לָאֲשֶׁר מוּצַק לָהּ (à quibus

Ad CAP. 7.

Vide Adrichom. Tab. Nephthal. ipsumque pag. 115. b.

Vel *Tempore primo vilem reddidit &c. sed in novissimo &c.*

Ad Cap. 7. bus noſtri ferè, Judęorum, qui nunquam hanc prophetiam intellexerunt, veſtigia prementes, caput hoc, magnâ ſenſûs perturbatione, ordiuntur) cum Hieronymo & Bibliis Regiis præcedentis capitis ſententiæ annecto; vertóq;, *quoniam non eſt obſcuratio ei qui anguſtiæ eſt ipſi.* id eſt, in calamitoſo iſto & afflicto rerum ſtatu, in quem reſpublica Iſraelitica tunc temporis, juxta Legis comminationem, incidiſſe memoratur, atque oculis quaſi ſubjicitur; ad indignationem & deſperationem homines adactos, quòd hoſtem, quo premebantur, viderint perpetuis ſucceſſibus uti, neque vllum ei infortunium obvenire. Magni profectò fidei Chriſtianæ intereſt, oraculum hoc de Meſſia Galilæo clarè intelligi, atque Matthæi ipſum allegantis fidem aſſeri: propterea lucem ei qualemcunque hac occaſione fœnerare volui, ſperans lectorem id non ingratum habiturum. Ad Apocalypſin redeo, illúdque porrò addam, priuſquam Nephthalim dimiſero; Quòd quemadmodum in Leæ filiis primum locum ſortitus ſit Juda, propter Chriſti genus: ità inter Rachelidas Nephthali, ob ejus domicilium; ut utrobique ſupereminеat Chriſti prærogativa, cujus nomine, ceu Domi-
Cap. 14. 1. ni & Imperatoris, cœtus iſte (ut ſuo loco audiemus) inſcribitur.

Reſtant *Joſeph* & *Benjamin*, ad poſtremum Rachelidarum bigam rejecti. quorum illum in hunc locum detruſit peccatum Ephraimiticum: ſiquidem Ephraim eſt, qui Joſephi nomine tegitur, indignus qui ſuo, (tum quia idololatriæ Iſraeliticæ, authore Michâ, anteſignanus fuit, tum ob immanem illam, Jeroboamo & Achabo authoribus, ὑπερβολὴν) in hoc catalo-

catalogo audiatur. *Benjaminem* denique, aliàs natu minimum, altiori gradu prohibet Saulis Benjaminitæ adversus Davidem (utpote Christi genearcham, typúmque) odium, & Schimei in eundem maledicta. Ad Cap. 7.

¶ *Sententia memorialis ex nominum, quibus tribus appellentur, significatis conflata; quâ, cùm tribuum signatarum ordo, tum Cœtûs ipsius indoles, luctа, atque à Deo præmium declarantur.*

Juda	Confitetur *Deo*	Cultus
Reuben	intuendo filium	purus &
Gad	Cœtus	ritè Chri-
Aser	benedictus.	stianus.
Nephthalim	Luctantur *cum*	Lucta.
Manasse	obliviscentibus	
Simeon	obedientiam.	
Levi	Adhęsio, *scil. Christo*	Præmium
Isachar	mercedem	
Zabulon	habitaculi, *sc. æterni*	
Joseph	adjiciet	
Benjamin	filio dextræ	

Confitetur, vel celebrat *Deum*, intuendo filium (id est, *Christum mediatorem unicum*) Cœtus benedictus, (*cœtus signatorum.*) Luctantur *cum* obliviscentibus obedientiam (id est, *cum Antichristianis.*) Adhæsio *Christo*, mercedem habitaculi (*nempe æterni*) adjiciet filio dextræ, (id est, *ei quem Deus magni facit.*) *vel aliter.* Adhærentibus *Deo* mercedem habitaculi (id est, *æternæ vitæ*) adjiciet Filius dextræ, id est, *Christus.* Con-

Ad Cap. 7.

Contractiori huic & afflictiori Eccleſiæ ſtatui typo ſignatorum ex Iſraele, ſuccedit ampliſſimus longéque feliciſſimus ejuſdem ſtatus, imagine Palmiferorum innumerabilium, ex omni gente, populo, tribu, & lingua. *Poſthæc*, inquit, *vidi, & ecce turba multa, quam numerare nemo poterat, ex omni gente, & populis, & tribubus, & linguis, ſtantes ante thronum, & ante Agnum, amicti veſtibus albis, & palmæ in manibus eorum. Et clamabant voce magnâ, dicentes; Salus Deo noſtro qui ſedet ſuper thronum, & Agno, &c.* Atqui hæc Viſio, quum ad Tubam ſeptimam pertineat, neque alibi commodè & dilucidè ob tot prænoſcenda explicari poſſit, eò ſcholium ejus differemus. Præſenti loco ſufficiat quod modò in genere dictum eſt, Lectorémque memoriâ tenere, ambas quidem Viſiones iſtas junctim totum Sigilli ſeptimi ſeu Tubarum intervallum pervadere; ſeorſim verò Cœtum Signatorum ſex primis Tubis; Turbam Palmiferorum Tubæ ſeptimæ συγχρονίζειν. Atque ità interjectæ Viſionis Viſionúmve interpretatione defuncti, intermiſſam Sigillorum ſeriem reſumamus.

MENS

MENS SIGILLI SEPTIMI ID EST, SEPTEM TUBARUM.

FUERUNT SEX PRIMA SIGILLA, quibus ſtantis adhuc & vigentis Imperii ſtatus, uſque dum poteſtas Idolorum rueret, caſibus inteſtinis deſcribebatur: Succedit ſeptimum, cujus τὸ πρᾶγμα SEPTEM TUBÆ, quo Imperii labantis & cadentis fata, ſeptuplici plagarum ordine, bellicum canentibus Tubis, ruituri, conſuetis ad eam rem imaginibus panduntur; Deo nempe ſanguinis tot Martyrum, Romanis auſpiciis effuſi, iſtac Ruinâ pœnas exigente. Ad Cap. 8.

Qui enim nè brutis quidem animantibus, ſi quando hominem imaginem ſuam occiderint, parci velit: annon ille ſanguinem ſervorum ſuorum ab Imperio tot annis Martyricidâ repoſceret? Neque ſera Chriſtianorum Imperatorum ibi rerum potiuntium pietas juſtitiæ Dei intercedere debuit; non magis quàm pietas Joſiæ, ut regnum Judæ, ſanguinis à Manaſſe effuſi reum, excidium à Deo decretum effugeret. Hanc ultionem animæ Martyrum ſub immani illa Sigilli quinti laniena gementes, precibus efflagitârunt: hanc Deus promiſit, quamprimum Tyrannus Romanus eorum acceſſione, qui tum adhuc jugulandi reſtabant, menſuram ſuam implêſſet,

Ad CAP. 8. cap. 6. 11. Hoc tempus jam advenerat. Quapropter *preces istas* Angelus cœli Sacerdos ad Altare thymiamatis (ut moris erat precibus populi in Templo factis) suffitu ad Thronum Dei transmittit, eíq; in memoriam revocat. Interea *silentium in cœlo factum est ad semihoram*; pro Templi nempe ritu in istiusmodi sacro obeundo. Constat enim, in sacris ubivis ferè Gentium, Silentium de Religione fuisse. *Favere linguis*, dicebant. Id à populo Dei observatum, tum cùm Incensum fieret. Dum enim Sacrificia offerebantur (quæ prima pars λειτουργίας fuit) Templum canticis, tubis, aliísque instrumentis musicis personabat, 2. Chron. 29. 25. usque ad 28. At tempore Incensi omnia silebant, & populus tacitè secum precabatur, Luc. 1. 10. Huc igitur alluſum est, dum Angelo ad Altare aureum sacra facturo, *factum esse* dicitur *in Cœlo Silentium ad semihoram*, id est, toto tempore Incensi.

Vers. 5. Quo demum peracto, *Implevit Angelus thuribulum exigne Altaris, abjecitq; in terram.* Nempe, ut hoc ritu indicaret, quorsum spectarent preces istæ, quas ad Deum commeantes grato odore perfuderat; scilicet ad vindictam in Terricolas impetrandam, qui Sanctos læserant, imò sanguinem eorum effuderant.

Preces autem continuò responsum ferunt. *Nam facta sunt* (inquit, scilicet ex Throno seu adyto Templi, ut cap. 4. 5.) *Voces & tonitrua & fulgura & terræ motus.* Quibus verbis describitur oraculum בת קול BATH KOL, id est, *Filia vocis seu tonitrui*, quo Deus olim in veteri populo responsa dabat, eodémque hîc precibus Sanctorum annuit. Hebræo autem

Ità quoq; Act. 4. 31. Deus Apostolorum precibus *terræ motu* annuebat.

autem ſermone ſciendum, φωναὶ & βρονταὶ idem ſonare; Tonitrua enim קולות appellari, id eſt, *Voces*. Aut igitur καὶ ſumendum ἐξηγητικῶς pro *hoc eſt*; aut, quod malim, per figuram ἓν διὰ δυοῖν, *Voces* & *tonitrua* ſunt *Voces tonitrui aut cum tonitru*. Ad Cap. 8.

Scilicet Deus, ut plurimùm cum tonitru placita ſua edebat, quemadmodum & legem tulit, Exod. 19. 16. imò unicum id oracului Judæis reliquum poſt captivitatem Babylonicam manſit. cujus exemplum eſt apud Evangeliſtam noſtrum, cap. 12. 28. cùm dixiſſet Dominus: Πάτερ δόξασόν σου τὸ ὄνομα, *Pater glorifica nomen tuum: venit*, inquit, φωνὴ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, Καὶ ἐδόξασα, καὶ πάλιν δοξάσω. Sequitur ibi: *Et turba quæ aſtabat & audierat, dicebat, Tonitru eſſe factum. Alii dicebant, Angelus ei locutus eſt*. id eſt, alii בת קול tonitru divinum, ſeu conjunctum cum voce divina, *Filiam* nempe *tonitrui*, dicebant; alii verò, Angelum loqui. Atque hinc eſt, quòd in Apocalypſi, non hoc tantùm loco, ſed alibi paſſim cum oraculis vocibúſque divinis tonitru conjungitur, ut cap. 4. 5. cap. 6. 1. cap. 10. 3. Videſis Clariſſimi Danielis Heinſii Ariſtarchum ſacrum, pag. 277. & 455.

Sacro ſic peracto, & Deo voce tonitrui Sanctorum precibus annuente, *Septem Angeli qui habebant ſeptem Tubas, præparaverunt ſe ut clangerent*. Vers. 6.

Opera divinæ providentiæ & gubernationis Angelis adminiſtris geri, apud omnes Theologos in confeſſo eſt. Angeli igitur in Viſionibus iſtis eorum locum tenent, quibus ad res gerendas à Deo præponuntur; quódque communibus operis tam Angelorum quàm hominum geritur, id Angelis authoribus, tanquam auſpicibus & ducibus, geri dicitur.

Ad CAP. 8.

tur. Ut omnino à ſcopo aberrare mihi videantur, qui ſub iſtis Angelorum nominibus aliud aliquod myſterium latere putent. Angeli igitur Tubicines, de quibus hîc ſermo, ſunt qui ad gubernandas Tubarum plagas, adhibitis ad gerendum, per quos Deo decreta ſua exequi viſum, hominibus, conſtituti ſunt.

Harum verò Tubarum quatuor primæ anguſtiorum & minorum plagarum ſunt; utpote quibus, Orbi Occidentali ſeu Latino maximam partem incumbentibus, ſanandis fuit Epiſcopus Romanus, dehinc Orbi ſaltem iſti in caput futurus. Quarum imaginibus ritè accõmodandis, hîc quoq; Lector obſervet, Univerſitatem Romanam cum reliquis Orbis Imperiis, à Spiritu S. tacitè aſſimilari Syſtemati Mundano, cujus partes ſunt *Terra, Mare, Flumina, Cœlum, Stellæ*; eâ ratione, ut Imperii cujuſque Syſtema ſuam quoque *Terram* habeat, quæ ſit inſtar illius *Telluris*, nempe imum quoddam & Baſin cui totius politiæ moles incumbat; *Mare* item, quod, *Terram* ſuam circumfundendo, *Maris* ſimilitudinem (hæc Ditionis amplitudo ſeu extenſio eſt) omnimodò gerat; *Flumina* quoque politica, quæ aliorum fluminum ritu ex *Mari* ſuo originem ducant eodémque revertantur; cujuſmodi ſunt Magiſtratus provinciales cæteríque ditionis adminiſtri, unà cum illorum Fluminum alveis provinciis ipſis: *Solem* deniq; aliáſque *Stellas* in Supremæ poteſtatis cœlo *Solem, Lunam Stelláſq;* in cœlo mundano referentes. Hac analogiâ obſervatâ, Interpretatio, ut ſimilibus veterum Prophetarum figuris omnimodò munita, ità proclivis erit & reigeſtæ omnino appoſitiſſima.

Quod

Quod autem paſſim de *Tertia parte*, ut de *tertia parte arborum terræ, tertia parte Maris, Fluminum, Cæli*, inculcatur, id de finibus Imperii Romani accipio, *tertiam* Orbis terrarum Joannis ævo cogniti partem ambitu ſuo complectentis. Id quod ex eo probari poſſe videtur, quòd poſtea Cap. 12. DRACO *ille Septiceps decacornis* (id eſt, Imperium Romanum Ethnicum) *tertiam partem Stellarum Cæli caudâ ſuâ traxiſſe & in terram abjeciſſe* dicitur; id eſt, tertiam partem Principum & Dynaſtarum Orbis Imperio ſuo ſubjeciſſe. His ità poſitis, ad ſingularum interpretationem veniamus. Ad CAP. 8.

7 *Et primus Angelus clanxit, & facta eſt* GRANDO *&* IGNIS *miſta ſanguine, & miſſa ſunt in* TERRAM: *& tertia pars terræ combuſta eſt, & tertia pars arborum concremata eſt, omníſq; herba viridis exuſta eſt.*

8 *Et ſecundus Angelus clanxit, & tanquam* MONS MAGNUS *igne ardens miſſus eſt in* MARE; *& facta eſt tertia pars maris ſanguis, 9 & mortua eſt tertia pars creaturarum in mari animas habentium, & tertia pars navium periit.*

10 *Et tertius Angelus clanxit, & cecidit de cælo* STELLA MAGNA, *ardens tanquam lampas, ceciditq; in tertiam partem* FLUMINUM, *&* FONTES *aquarum.* 11. *& nomen* STELLÆ *dicitur* ABSINTHIUM; *& facta eſt tertia pars aquarum in abſinthium, & multi homines mortui ſunt ex aquis, quòd amaræ factæ eſſent.*

12 *Et quartus Angelus clanxit, & percuſſa eſt tertia pars* SOLIS *& tertia pars* LUNÆ *& tertia pars* STELLARUM, *ità ut obſcuraretur tertia pars eorum, & diei non luceret pars tertia, & noctis ſimiliter.*

χόρτος Helleniſtis ſignificare *herbam* adeò ex tribus primis Geneſeos capitibus manifeſtũ eſt, ut negari nequeat.

TUBA I.

Ad CAP. 8.

PRima ſeptimi Sigilli Tuba ab Idolarchia Romana ſexti Sigilli exitu jam prorſus diſturbatâ atq; excuſſâ init; primámque Imperio jam ruituro plagam datura, TERRÆ *trientem* horrifico GRANDINIS *cum Igne Sanguinéq;* nimbo peſſundat: id eſt, *Territorium populúmve* Orbis Romani (univerſi ſcilicet illius politici baſin & tellurem) terribili & cruentâ Gentium Septentrionalium irruptione depopulatur, magnates plebeióſq; proſternit abſumitque.

Videſis eodèm ſpectantem *Grandinis* imaginem, ad *impreſſionem*, inquam, *hoſtilem*, Iſai. cap. 28. v. 2. *Ecce validus & fortis Domino* (Salmanaſſarem indigitat) *ſicut tempeſtas* GRANDINIS *& turbo exciſionis, ſicut tempeſtas aquarum multarum inundantium dejiciet in terram fortiter. Pedibus calcabuntur Corona ſuperbiæ temulenti Ephraim.* Item Iſaiæ 30. 30. de clade Aſſyriis ventura: *Et audiri faciet Dominus majeſtatem vocis ſuæ, & deſcenſionem brachii ſui oſtendet in ira furoris & flamma ignis conſumentis, diſperſione & turbine & lapide* GRANDINIS; *quia à voce Domini conteretur Aſſur*, &c. Hîc obſervandum, quia Grando cum fulmine, in calidioribus præſertim regionibus, eſſe ſoleat; ideo cum *Grandinis* mentione *ignem* conjungi, cùm hîc apud Joannem & Iſaiam, tum Pſal. 18. 13, 14. imò in hiſtoria Exod. 9. 23. Sed Joannes *ſanguinem* quoque præter naturam commiſcuit, ut Imaginem totam hoc indicio ad *cædem* ſpectare innueret. De *Grandinis* imagine videat quoque Lector Iſai. 32. 19. ibíque Chaldæum Paraphraſtem.

Adhæc,

Adhæc, *Arbores* in parabolis propheticis ſignificare *Magnates & divites*, docet idem Paraphraſtes; qui pro *quercubus Baſan*, Iſa. 2. 13. ſubſtituit *principes provinciarum*; pro *cedris*, Iſai. 14. 8. *divites*; pro *abietibus*, modò *principes*, Iſai. 37. 24. modò *reges*, Iſai. 14. 8. Qui quoque illud Zach. 11. 2. *Vlula abies, quia cecidit cedrus, quoniam magnifici vaſtati ſunt: Vlulate quercus Baſan, quia cecidit ſylva munita*, ſic [illegible]. *Vlulate Reges, quia contriti ſunt principes; qui opibus erant divites vaſtati ſunt: Vlulate Satrapa provinciarum, quia vaſtata eſt regio fortitudinis veſtræ.* Unde ex analogia facilè colligitur, HERBAS de *Plebeiis* capiendas, quando, ut hîc, cum *Arboribus* componuntur. Ad Cap. 8.

Jam, ut de eventu aliquid ex hiſtoria delibemus, initium hujus Tubæ, donec certius quid conſtiterit, ducam à morte Theodoſii primi, id eſt, ab anno Chriſti CCCXCV; quòd tunc Religio Chriſtiana de Diis Gentilium planè triumphâſſe videtur, & ſimul, tanquam in ſuperioris Sigilli deſinentis & hujus incipientis communi quodam termino, Barbarorum irruptiones nonnihil antehac tentatæ, ſed proximis annis, pacato iterum Imperio, compreſſæ, horribiliter denuo cieri & univerſo ferè Orbi Romano ferro & igne continuè & immaniter vaſtando populandóque incumbere cœperunt.

Hoc ipſo enim anno ALARICUS primùm, cum ingenti Gothorum aliorúmque Barbarorum exercitu, ex Thracia in Macedoniam irrumpit, nullis neq; oppidis neque hominibus parcens. Indè per Theſſaliam progreſſus, Thermopylarúmque anguſtiis occupatis, in Græciam, id eſt, Achaiam deſcendit, quaſ-

Ad CAP. 8.

quaſvis urbes præter Thebas & Athenas excindit. In Peloponneſum irruit, Corinthum, Argos, Spartam vaſtat. Indè in Epirum ſeſe intulit, ubi eaſdem populationes & vaſtitates edere pergit.

Anno ſequenti Epiro egreſſus Achaiam incurſavit, eámque cum Epiro finitimíſque provinciis quadriennio toto incendiis & populationibus fœdè vaſtare contendit.

Cùm ſic per quinquennium immanibus Orientem direptionibus vexâſſet, animum ad invadendum Occidentem adjicit, in Dalmatiam & Pannoniam tranſit, eáſq; regiones latè populatur. Triſtiſſimum hujus temporis ſtatum, hucuſque graſſante tempeſtate, audi deplorantem, qui tum vixit, Hieronymum Epiſt. 3. *Inter Conſtantinopolin & Alpes Julias quotidie Romanus ſanguis effunditur; Scythiam, Thraciam, Macedoniam, Dardaniam, Daciam, Theſſaliam, Achaiam, Epiros, Dalmatiam, cunctáſque Pannonias Gothus, Sarmata, Quadus, Alanus, Hunni, Vandali, Marcomanni inſtant, rapiunt. Quot matronæ, quot virgines Dei, & ingenua nobiliáque corpora his belluis fuere ludibrio? capti epiſcopi, interfecti presbyteri, & diverſorum officia clericorum. ſubverſæ eccleſiæ, ad altaria Chriſti ſtabulati equi, martyrum effoſſæ reliquiæ.* ROMANUS ORBIS RUIT. *Quid putas nunc habere animi Corinthios, Athenienſes, Lacedæmonios, Arcadas, cunctámq; Græciam, quibus imperant Barbari?*

Anno verò ſequenti, Chriſti 401, idem Alaricus, Gothis, Alanis, Hunníſque ſubſequentibus, in Italia quoque bellum geſturus, Noricum perrumpit, & per Tridentinum ſaltum in Venetiam venit, eas urbes brevi tempore in poteſtatem redigit, Honorium Impera-

Imperatorem Haſtæ obſidet; adeò ut omnes ferè in Italia jam de relinquendis ſedibus cogitarent. Sed hîc tandem, Stilicho Honorii Dux, magno comparato exercitu, furorem ejus ſufflaminavit, & ſemel iterúmque victum atque adverſis præliis fatigatum, in Pannoniam, unde venerat, pedem referre coegit. Ex qua paulò pòſt, fœdere percuſſo, atque militari præfecturâ ab Honorio honoratus, in Illyricum Orientis provinciam ſeceſſit. Ad Cap. 8.

Quieſcente aliquantiſper Alarico, nè tamen ullo deinceps tempore Occidens feriaretur, ſtatim ann. 404 memorabilis altera Barbarorum irruptio in Italiam eſt inſtructa, *Radagaiſo* homine Scytha duce; qui cum Gothorum, Sarmatarum & Germanorum exercitu ad ducenta millia, præſidiis in Alpibus dejectis, in Venetiam regionem, Æmiliam & Hetruriam tranſit, Florentiam obſidet; ubi à Stilichone ingenti ſtrage devictus capitur atque obtruncatur.

Hoc hoſte, utcunque terribili, brevi temporis ſpatio & minori cum damno, ſublato, ſtatim ann. 406 tertia, eáq; graviſſima maximéq; exitioſa, in Occidentem irruptio Vandalorum & Alanorum, aſſumptis ſecum Marcomannis, Herulis, Suevis, Alemannis, Burgundionibus aliorúmq; Barbarorũ colluvie, facta eſt, quâ Gallia primùm, indè Hiſpania, & poſtremò Africa ſunt occupatæ, & omnis generis calamitatibus afflictæ. Quas clades ità Hieronymus Epiſtola xi partim expreſſit, partim ſignificavit. *Innumerabiles*, inquit, *& ferociſſimæ nationes univerſas Gallias occupârunt. quicquid inter Alpes & Pyrenæum*

Ad CAP. 8. *est, quod Oceano & Rhodano includitur, Quadus, Vandalus, Sarmata, Alani, Gipedes, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alemanni, & hostes Pannonii vastârunt. Maguntiacum capta, atque subversa est, & in ecclesia multa hominum millia trucidata. Vangiones longâ obsidione deleti, Rhemorum urbs præpotens, Ambiani, Attrebates, Morini, Tornacus, Nemete, Argentoratus translati in Germaniam. Aquitania, Novémque populorum, Lugdunensis & Narbonensis provinciæ præter paucas urbes populata sunt cuncta. Non possum absque lacrymis Tolosæ facere mentionem, quæ ut hucusque non ruerit, sancti Episcopi Exuperii merita præstiterunt. Ipsa Hispaniæ jam jámque peritura contremiscunt. Roma vitam auro redimit.*

Atque hic fuit terribilis iste *Grandinis* cum *igne* & *sanguine* Nimbus; Imago quidem applicationis adeò obviæ, ut Nicephoro Gregoræ lib. 2. c. 7. de Apocalypsi nè cogitanti unquam, sed de Scythis tamen agenti, adeò concinnum quid exciderit, ut non possim non ascribere: *Ut*, inquit, *terrores de cœlo sæpe hominibus à Deo incutiuntur, ut fulmina, incendia, & crebri imbres, &c. ità hi à Deo asservantur Septentrionales & Hyperborei terrores, ut pro pœna, quando & quibus providentiæ visum fuerit, immittantur.* Sed corollarium quoque ex Achmete adjiciam, adhuc magis confirmando Lectori.

Corollarium ex Achmete de significatis GRANDINIS, IGNIS, & ARBORUM *in interpretatione somniorum.*

Capite CXCI ex Indorum, Persarum, & Ægyptiorum

ptiorum rationibus: *Nix, grando, gelu ærumnas, ſollicitudines & tormenta portendunt.* Ad Cap. 8.

Si quis videre viſus fuerit grandinem alicubi delapſam, hoſtilem impreßionem ſubitam expectet.

Si videre viſus fuerit grandinem, quæ frumenti hordeique culmos læſerit: in eo loco, prout culmi fracti fuerint, bellicæ cædes evenient.

Eidem cap. CLIX ex Indorum, apoteleſm. CLX ex Perſarum & Ægyptiorum explicatione, *Ignis interitum, bellum, pugnas, punitionem & afflictionem ſignificat, ſi quid aut quem urere viſus fuerit.*

Item cap. CLI. Perſæ, Indi, Ægyptii *Arbores* de hominibus, præcipuè Magiſtratibus, proceribus, & viris ampliſſimis interpretantur: ut,

Si quis viſus ſibi fuerit irrigare arbores & excolere, vir ampliſsimus & populi nutritius erit.

Si Rex viſus ſibi fuerit arbores plantâſſe, novos magiſtratus inſtituet. Item,

Si Arbores diuturnitate temporis vitiatæ ac putrefactæ corruerint, naturali morte proceres Regis morientur.

Si videre viſus fuerit virgulta quæ in arbores excreverint, hoc ad ſucceßionem magnatum ipſius pertinet.

Si plebeius arborum folia viſus ſibi fuerit in domum collegiſſe, opes à magnatibus pro foliorum modo conſequetur, &c.

TUBA II.

SEcunda Tuba Mundum Romanum, terrâ ſuâ jam ſatis vaſtatum, graviore adhuc plagâ labefacta-

Ad Cap. 8. factatura, MARE impetit. cujus qui eò pertinebat trientem, MONTIS *magni* ei antiquitus imminentis, jam verò conflagrantis casu, totum cruentum reddit; magnâ cùm ibi degentium animantium seu piscium, tum navigiorum strage. Hoc est, ROMÆ *urbis magnæ*, semel iterúmq; captæ, spoliatæ, atq; hostilibus flammis ardentis clades, in *amplitudinis ditionis jurisdictionisve Romana* interitum erupit; provincias ejus præ capitis sic afflicti debilitate, jam pro libitu rapientibus, atque in nova Regna discerpentibus Barbaris; irreparabili cum legionum inibi ad tutelam degentium strage, omniúmque potestatis retinendæ & sustentandæ (quasi negotiandi) adminiculorum jacturâ.

MARE mundi politici, ut dixi, est *Ditionis* illa *amplitudo* incolas universos ejusdem juris politici communione amplectens. Hac imagine Babylonis *Ditio* exprimitur Jer. 51. 36. Ubi minatur Dominus, *se exsiccaturum* MARE *ejus, & arefacturum venam ejus.* quod v. 44 exponitur eâdem retentâ metaphorâ, *non confluxuras ad eam amplius Gentes. Amplitudo* quoq; Regni Assyriaci sic describitur Ezec. 31. 4. *Aquæ crescere fecerunt eam* (scil. cedrum Assyriacam) *Abyssus seu Mare exaltavit eam.* Fortè etiam Pharaonis Ditio *Mare* est, Isai. 19. 5. ubi de Regni ejus interitu dicitur, *defecturas aquas de Mari* ejus, .i. ablatum iri Ditionem ejus. Indè Imperia illa magna apud Danielem conspiciuntur *ex* MARI *ascendere*, id est, ex *Ditionis amplitudine* oriri.

Quòd autem *tertia Maris pars*, id est, MARE *Romanum*, sanguineum factum dicitur; sciendum, *Sanguinem* primò pro *cæde* usurpari, deinde pro *morte* etiam

Ad Cap. 8.

etiam ſine ſanguine: *Mortem* autem in genere pro *interitu* ſumi, etiam rei vitâ carentis. vide Ezec. 14. 19. & 3. 18, 20. & 18. 13. Amoſ. 2. 2. Rom. 7. 9. Unde *ſanguinem vel ſanguineum fieri*, imago eſt rei *interitum paſſæ*, quaſi nempe cruore manantis inſtar animalis occiſi aut laniati. Quòd igitur hîc *Mare Montis magni* caſu *cruentum* factum dicitur, nihil aliud denotat, quàm *mortem* quandam ſeu *interitum* violentum illo caſu paſſum eſſe. Id quod in Phialis, ubi eadem eſt imago, aliquanto apertiùs dicitur, *factum eſſe quaſi ſanguis mortui*, i. *occiſi*. Mens eſt, *Ditionem* ſeu *Amplitudinem Romanam* cladem paſſam eſſe, truncatam, dilaniatam, perditam eſſe.

Simile etiam *Montis* ſymbolum urbi ſignificandæ, de veteri Babylone reperire eſt Jerem. 51. 25. *Ecce ego ad te* MONS *peſtifer (ſeu corruptor) qui corrumpis univerſam terram, & extendam manum meam*, &c. *& dabo te in* MONTEM COMBUSTIONIS. ubi Septuag. habent ὄρος ἐμπεπυρισμένον, eodem ſenſu quo hîc Joann. ὄρος πυρὶ καιόμενον. De eadem Iſai. 13. 2. *Super* MONTEM *eminentem levate vexillum*. Targum, *Super civitatem habitantem confidenter*. Item c. 37. 24. ad Sennacheribum regem Aſſyriæ: *Exprobraſti*, inquit, *Domino, & dixiſti, In multitudine quadrigarum mearum aſcendi altitudinem Montium*. Targum, *Aſcendi in munitionem Civitatum eorum*. Sed an rectè dubito.

Porrò, quòd *Mons* hîc in *Mare* mitti ſeu projici dicatur, τὸ πρῆσσον eſt figuræ, cùm non aliâ ratione Mons Mari nocere poſſet, quàm ſi in ipſam projiceretur. Atque hoc in ſequenti quoque Tuba, de *Stella cadente*, locum habere memineris.

Ad CAP. 8.

Hiſtoriam quod attinet, Roma primùm capta eſt, Anno 410. Idque ab eodem Alarico Gothorum rege, qui in priore Tuba, fati quaſi præludium exhibuerat; jam verò poſt mortem Stilichonis novos motus ciente, novámque & fatalem in Italiam expeditionem adornante: quâ quidem Honorium in tantas anguſtias redegit, ut ipſe Barbarus novum Imperatorem, Attalum nomine, Romæ daret, quocum Honorium Auguſtum Ravennæ obſideret, jam, præ rerum ſuarum deſperatione, in Orientem, Occidente relicto, fugere cogitantem. Sed hoſtis pœnitentiâ ductus, Attalo Imperio abrogato, Honorium in integrum reſtituit.

Hanc urbis Romæ cladem Ditionis Romanæ dilaceratio continuò ſequuta eſt. Teſtem advoco Sigonium: *Romanam cladem*, inquit ille, *miſerabilis Italiæ vaſtitas, continua Galliæ atque Hiſpaniæ bella, ac nova demum Barbarorum in utraque provincia regum imperia exceperunt.*

Primùm enim Honorius, ut Romam cum imperio recuperaret, fœdere cum Alarico icto, Gothis ſedes & regnum in Galliis permittere coactus eſt.

Biennio pòſt, Anno 412, Hunnis quoq; ſeſe in Pannonia, quam Gothi reliquerant, effundentibus, idem, viribus ad reſiſtendum in tantis difficultatibus deſtitutus, fœdus cum iis, datis acceptísque obſidibus, fecit.

Deinde Anno 413, Conſtantius, ejuſdem Honorii Dux, Burgundiones, qui, ſic turbatis prioribus hiſce annis rebus, unà cum Vandalis in Galliam ſeſe contulerant, nè in aliquam fortè belli difficultatem inci-

incideret, libenter in amicitiam recepit, atque ſedes ad Rhodanum aſſignavit. Ad Cap. 8.

Anno denique 415, idem Honorius (ut tradit Procopius) cùm Gothi paulò pòſt in vicinam Hiſpaniam tranſiiſſent, Vandalis quoque cum Rege ſuo Gunderico ex Gallia à Francis nuperrimè expulſis, ſedes quas occupârunt conceſſit habitandas, pacto Gothis bellum inferendi. Qui plura ſcire cupit, conſulat paulò antè nominatum Sigonium de Occidentali Imperio, lib. X. & XI. unde nos hæc deſumpſimus.

Atque ità deinceps Amplitudo ditionis Romanæ quotidie magis magisque laniata atque diſtruncata eſt, donec, iterùm Româ Anno 455 à Genſerico Vandalo captâ atque direptâ, ſequenti ſtatim anno aut non ità multò pòſt, totum Imperii corpus in *decem* omnino *regna* diviſum apparuit. Quæ unà cum populorum regúmque nominibus, & provinciis quibus regnatum eſt, adhæc quibuſdam ex hiſtoria annotatis ad majorem lucem faciendam, ſequens Tabella exhibebit.

Typus

	REGNA	Provinciæ quibus regnatum est	Nomina Regum ad An. 456. regnantiũ	Observanda quædam.
1	*Britonum*	In Britannia.	*Vortimerus.*	
2	*Saxonum*		*Hengistus.*	
3	*Francorum*	In Gal. Belgic. primùm; mox & Celtica.	*Childericus.*	
4	*Burgundionum*	In Gal. Sequan & Lugdunen.	*Gundericus.*	Regnum Burgundionum ann. 526. à Francis subjugatum atq; extinctum est. Sed numero denario complendo cõmodè Ostrogothorum Ditio eodem tempore in duo Regna dissiliit; Pannoniâ, quæ illis hucusq; paruerat, à Longobardis occupatâ, & Italiâ solâ regibus Ostrogoth. relictâ.
5	*Wisigothorum*	In Aquitania & parte Hispaniæ.	*Theodoricus II.*	
6	*Suevorum & Alanorum*	In illo Hispaniæ tractu qui Gallæciâ & Lusitaniâ continetur.	*Riciarius.*	
7	*Vandalorum*	In Africa, sed paulò antè in Hispania.	*Gensericus.*	
8	*Alemannorum*	In Germaniæ tractu qui Rhetia dicebatur.	*Sumanus.*	Alemannorum regnũ ab ann. 475. cum Heruloru̇m, quamdiu illi rerum in Italia potiti sunt, coaluit, ann. nimirũ 16.
9	*Ostrogothorum*	In Pannonia, debellatis Hunnis. nec sæculum hoc exierat, cùm iidem in Italiam quoque regnum propagârint.	*Theodemirus*	Ostrogothis, etiam in Italia succesſerunt Longobardi, à Narsete, postquam Ostrogothorum regnum destruxerat, evocati anno 567. Sedes aurẽ suas in Pannonia Hunnis & Avaribus deinceps fruendas tradiderunt.
10	*Græcorum*	In residuo Ditionis Imperii. Siquidem, Antiq. Romę Imperio dissoluto; Græcorũ, Regnis annumerand. est, in quæ Ditio Urbis latè quondam regnantis dissilierat.	*Marcianus.*	

Atque

Atq; hoc demum modo *Decem illa regna*, in quæ Roman. Imperium noviſſimè diviſum iri, tum apud Danielem tum Joannem Sp. S. prænunciaverat, ſupputanda videntur; neque ex tot regionum aut terræ tractuum *nudis*, ut vulgò fit, *nominibus*, quinimo *regnis*, in quæ Ditio & Dominium Imperii dilacerandum foret, omnino æſtimanda. Interim tamen non tam rigidè Denarii iſtius circumſcriptionem interpretandam putamus, ut plura quovis tempore regna, aut cui cui modi Dynaſtias, excludat: ſed quòd in decem ad minimum, vel in decem præcipua regna, Imperium ſcindendum eſſet. Id quod jam indè à primordiali iſtac quam repræſentavimus dilaceratione, uſque ad noſtrum ſeculum, ſub tot variantium Rerumpublicarum & Regnorum fatis & converſionibus, ſemper verum fuiſſe, opinor; licèt oraculi fidei aſtruendæ ſufficeret, ſi vel initio ſolùm in tot Regna diviſum fuiſſet, ut ut poſtmodum fortaſſe imminuto numero. Ità autem ut dixi, nec aliter, intelligendam eſſe circumſcriptionem iſtam Decadis regnorum, ſimile de Monarchiæ Alexandræ dilaceratione Vaticinium nos edocere poteſt: in qua, licèt ultra quatuor illa præcipua, Macedoniæ, Aſiæ, Syriæ & Ægypti Regna, etiam quintum Thraciæ, conditore Lyſimacho, acceſſerit; Sp. S. tamen multiplicitatem iſtam quaternario definierit. tot putà ad minimum futura eſſent, aut tot præcipua regna. Regno enim Thracico, licèt ſimul cum reliquis cœperit, & ad 40 annos duraverit, ſucceſſum non fuit, ſed cum primo rege Lyſimacho expiravit. ideóq; in numerum non referendum. Similiter huic de decuplici diviſione Romana judican- Ad Cap. 8

Ad Cap. 8. dum. Propterea neminem moveat, ſi præter enumerata modò in Galliis regna, etiam Alanorum Aurelianenſium regnum, item Armoricarum Civitatum Dynaſtian, ibidem fortè invenerit, uſq; ab Honorii Imperio ad hæc tempora permanentia. Hanc ſiquidem modicæ admodum ditionis fuiſſe; illud modico deinceps tempore, nempe decem plurimùm annos, durâſſe comperiet. Neutrum igitur cum reliquis pari loco & ordine habendum eſt, nec ſi cujuſdammodi quid alibi inveniri poſſit.

TUBA III.

TUBA tertia fulgidam *Stellam*, HESPERUM ſcilicet *Roman.* ſeu OCCIDENTIS *Cæſarem*, jam indè ex quo Genſericus Vandalorum Rex Romam captam ſpoliaverat, præcipitem, & morti aliquantiſper, ſub iſtis nihili Cæſarum, Aviti, Majorani, Severi, Anthemii, Olybrii, Glycerii, Nepotis, mutuis inſidiis & lanienis intereuntium, nominibus quaſi obluctatum, tandem anno 476 ſub fatali *Auguſtuli* nomine extremum ſpiritum ducentem, *Odoacre* Herulorum rege immiſſo, de Cœlo poteſtatis ſuæ revulſum penitus deturbavit, atque extinxit; amariſſimo *Fontium & Fluminum*, id eſt, Urbium & Magiſtratuum provincialium fato.

Cæſarem Heſperium hîc eum intelligo, qui, à firmata, jam indè à morte Theodoſii primi, Imperii in Orientis & Occidentis diviſione, Romæ antiquæ & Occidenti adhuc Imperator manſit, ſed brevis admodum ævi; utpote poſt annum 91 de cœlo ſuo

ſuo ad hujus Tubæ clangorem penitus lapſurus. Ad Cap. 8.

Quòd enim Epiſcopus Romanus, annis pluſquam trecentis & viginti, poſtquam Cæſar iſte Heſperius in Auguſtulo occiderat, Reges Francorum (qui poſtea Germanorum) in id nominis & titulum de novo ſubrogavit: nihil aliud effecit, quàm ut, hoc quaſi Cæſaris redivivi, ceu ſexti capitis Beſtiæ adhuc regnantis, oppanſo velo, nè ipſe pro capite noviſſimo, id eſt, Antichriſto, tandem à minùs perſpicacibus tam liquidò haberetur.

Atqui Cæſar iſte Papanus ad capita Beſtiæ Romanæ non pertinet; verùm ad cornua ſeu regna, in quę ſexti capitis Imperium, jam capiti noviſſimo vices ceſſurum, dilacerandum fuerat. Neque enim poſt tantum temporis intervallum, quantum eſt annorum 325 (tot autem ſunt ab Auguſtulo ad Carolum Magnum) Heſperiorum Cæſarum quaſi ſeriei continuandæ ſuccedi potuit.

Sed age, textui Joannis porrò faciamus lucem, ut interpretationis ratio conſtet. *Et cecidit*, inquit, *è cælo Stella magna ardens ut lampas*. Stellam crinitam ſeu Cometam deſcribere videtur, cujus inter ſpecies à Plinio recenſitas eſt *Lampadias* ſpeciatim ſic dicta. Et profectò non incommodè Cæſar Occidentis hujuſmodi ſtellâ figuretur, ob brevem durationem. De quo idcirco cap. 17. dicetur, *Oportere eum cùm venerit ad exiguum tempus manere*. Stella autem *magna* fuit; utpote ſummæ Majeſtati aptiùs figurandæ, cujus ſplendorem aliàs *Sol* in parabolis propheticis repręſentet. Et ſanè notum eſt, *Cometas* fuiſſe, qui vel Solem magnitudine æquâſſe viſi ſint; cujuſmodi & hanc Stellam fuiſſe, fortè non aberrabit qui diceret.

Ad CAP. 8.

Similem autem *Stellæ cadentis* parabolam, nè de applicatione dubites, adhibet Iſaias, cap. 14. 12. de caſu Regis Babylonis. *Quomodo*, inquit, *cecidiſti de cælo, Lucifer fili auroræ, reſectus es in terram qui debilitâſti gentes?* Alibi quoque, ut loco Iſaiæ cap. 34. 4. jam antè laudato, *Stellæ cælo cadentes* de *Principum* & *Summatum ruina* intelliguntur. *Stella* igitur ſingularis & inuſitatę magnitudinis, ſupra communem ſortem principum, *Principem* deſignat, hoc eſt, magnum & eximium. Sequitur

Et nomen *Stellæ* dicitur ABSINTHIUM. Schema eſt propheticum, quo, nominis quaſi proprii impoſitione, rei aut perſonę, de qua agitur, qualitas aut fatum indicetur; cùm aliàs etiam in Hebraiſmo ῥῆμα דָּבָר ſit τὸ πρᾶγμα (ut Luc. 1. 37. *non eſt impoßibile Deo* πᾶν ῥῆμα) & *vocari* idem valeat quod *Eſſe* vel *Exiſtere*; ut Iſa. 56. 7. *Domus mea Domus orationis vocabitur.* pro quo Luc. 19. *Domus orationis* ἔσται, *eſt, erit, habebitur.* Et Gen. 21. 12. *In Iſaac vocabitur tibi ſemen*, id eſt, *erit.* Videſis quoque Septuag. Iſai. 14. 20. Ruth. 4. 11. Schematis autem quod dixi exempla paſſim obvia ſunt. Sic enim Iſai. 7. 14. de Chriſto. *Vocabitur nomen ejus Emmanuel*, .i. Θεάνθρωπος erit. Et cap. 9. 5. *Vocabitur nomen ejus Admirabilis, Conſiliarius, Deus fortis, Pater futuri ſeculi, Princeps pacis*, id eſt, erit hæc omnia. Item Jerem. 23. 6. *Et hoc eſt nomen quo vocabunt eum*, DOMINUS JUSTITIA NOSTRA. Et Zachariæ 6. 12. *Ecce vir* GERMEN *nomen ejus.* ſequitur, *quia ex loco ſuo germinabit, &c.* Adde Apocalyp. 19. 13. *Vocatur nomen ejus* VERBUM DEI, id eſt, ipſe eſt Verbum illud Dei. Iſtis gemina ſunt quæ habentur, Jer. 20. 3. *Non Paſhurem vocat*

vocat Dominus nomen tuum, ſed Magor-miſſabib, [id eſt, formidinem circumquaque] *Nam ſic ait Dominus. Ecce ego inditurus ſum tibi formidinem, tibi & omnibus amicis tuis.* Et Ezech. 23.4. *Nomina earum* (id eſt, Mulierum Samariæ & Jeruſalem) *Aholah & Aholibah.* Adde Iſai. 8.3. Hoſ. 1.6,7. Ad Cap. 8.

Simili omnino figurâ *Stella hæc lapſabunda* Absinthium dicitur, id eſt, (notione Hebræorum, quibus abſtracta pro concretis adhibeantur) Absinthites, *Princeps* nempe *amaritudinum* & *ærumnarum.* Cujuſmodi revera fuit, ſi quis unquam, Cęſar iſte Heſperius, perpetuis ærumnis à primo exortu ſuo ad finem uſq; exercitus. Quo nimirum rerum potiunte, Imperium Rom. ruiturum eſſet. cujus imò conſtitutione occaſio ruinæ data, eò quòd, invectâ iſtiuſmodi Imperii diviſione, via Barbaris patefacta, réſque Romana in atrociſſimas calamitates conjecta fuerit. Annon hic propter *amaram* ſibi & aliis ſortem *Abſinthium* meritò diceretur ? juxta illud Naomi. *Nè vocate me Naomin, vocate me Maran; eò quòd amaritudine affecit me Omnipotens.*

Sed priuſquam hinc abeam, de Civitatis, reíque Romanę, poſt iſtum Cæſaris ſui caſum, ſtatu aliquid dicendum eſt, ut via ſequentis Tubæ interpretationi muniatur. Cæſare igitur Occidentis ſic deturbato atque extincto, interea Odoacer Herulus Italiam annis 16 regio nomine obtinuit. qui Romæ & Occidenti Conſulatum, quem tamen initio iratus ademerat, poſt biennium reſtituit; adhúcque conſervavit. Hunc excepit Oſtrogothorum Rex Theodoricus; idque, ut refert Paulus Diaconus, Imperatore Orientis Zenone Italiam ei per pragmaticam

Ad Cap. 8.

tradente, ac ſacro velamine capiti impoſito confirmante. Qui, Odoacre devicto ac trucidato, præter Dalmatiam & Rhetiam, quę Odoacris provinciæ erant, Siciliam quoque regno adjecit, Urbis Romæ mœnia nonnullâque ædificia, ingenti ad eam rem pecunię ſummâ collatâ, refecit; adeò ut ad præteritæ fortunæ faſtigium nihil deſiderari poſſe, exemptâ Urbis direptę atque incenſæ infamiâ, videretur: regnum ſapientiſſimè ordinavit, nullum Romanum inſtitutum mutavit, ſed Senatum & Conſules, Patricios, Prefectos prætorio, Præfectum urbis, Quæſtorem, Comitem ſacrarum largitionum, Comitem privatarum, & militiæ Comitem domeſticorum, Magiſtros peditum & equitum, cæteróſque qui fuerant in Imperio magiſtratus retinuit, eóſque Romanis hominibus tantùm mandavit. Id quod à ſucceſſoribus quoq; Athalarico, Theodohato, Vitige, regibus Italiæ Oſtrogothicis, aliquandiu ſervatum eſt. Vide Sigonium de Imperio Occidentali lib. xv. anno 479. lib. xvi. annis 493. 494. 500.

TUBA IIII.

QVARTA Tuba ulteriùs adhuc progreſſa, MAJESTATIS ROMANÆ in Urbe Roma *Lumen*, quo ſub Oſtrogothis etiam regibus eouſque ſplenduerat, penitus ademptum ivit: poſtquam nimirum, ab anno 542, in Bello iſto Oſtrogothico, Beliſario primùm, deinde Narſete Juſtiniani ducibus, Italiæ recuperandæ geſto, Conſulatus Romæ defecerat, deinde ipſa à Totila ſemel iterúmq; capta, incenſa, tertiâque

tertiâque ſui parte demolita, incolis inſuper omnibus (memorandum fortunæ ludibrium!) deſtituta, à Narſete tandem poſt tot funera & clades recepta, verùm turbine paulò pòſt & fulguribus proſtrata; Urbium quondam Regina Conſulari poteſtate, Senatus authoritate, reliquíſque, quibus tanquam *Stellis* Orbem hactenus irradiaverat, Magiſtratibus nunc demum orbata, in neſcio quem ignobilem Ducatum ex tanto gloriæ fulgore dilapſa eſt, Ravennæ, cui olim imperaverat, deinceps ſub Exarchatu ſervire coacta (heu tenebras!) & tributa pendere.

Ad Cap. 8.

Quomodo ſedet ſolitaria civitas copioſa populo, facta eſt veluti vidua copioſa in gentibus, Domina in Provinciis facta eſt tributaria? Thren. c. 1.

Atque hæc fuit quæ hîc memoratur, *Solis, Lunæ & ſtellarum tertiâ parte percuſsio, quâ factum eſt, ut tertia pars diei non luceret, & tertia pars noctis ſimiliter.* ubi *Diei* nomine vocatur *Lumen diurnum*, quod *Solis* eſt; *Noctis* verò, *Lumen nocturnum*, quod *Lunæ & Stellarum*; juxta illud Jerem. 31. 35. *Qui dat Solem in lumen Diei, & ſtatuta Lunæ & Stellarum in lumen noctis. Sol* Romæ fulſit, quamdiu Conſularis dignitas & Regnum ſuper alias urbes & provincias penes ipſam fuit. *Luna* & *Stellæ* ibidem luxerunt, quamdiu priſtina Senatûs reliquorúmque Magiſtratuum authoritas adhuc manſit. At his omnibus ſublatis, (quod hac Tubâ factum eſt) quid niſi tenebræ & Luminis tam diurni quàm nocturni omnimodum deliquium fuit? nempe quod ipſam attinebat, cui tertia pars Luminis Cœli debebatur.

Frequentiſſima eſt hac mente *Solis, Lunæ & Stellarum* Imago apud prophetas. ut Iſai. 13. 10. item 60. 20. ubi pro, *Non occidet ultrà Sol tuus & Luna tua non minuetur*, &c. Targum habet, *Non ceſſabit ampliùs Regnum tuum* (Jeruſalem alloquitur) *& gloria tua non auferetur.*

Ad Cap. 8. *auferetur.* Etiam Jerem. 15. 9. ubi de Jeruſalem, *Occidit Sol ejus, cùm adhuc eſſet Dies.* Targum vertit, *Migravit gloria eorum in vita eorum.* Et Ezech. 32. 7. idem Paraphraſtes illud de Pharaone: *Operiam, cùm extinxero te, cœlos, & Stellas nigreſcere faciam:* vertit, *Operiet te tribulatio, cùm extinxero ſplendorem gloriæ regni tui, &c.*

Transferat huc Lector, etiam quæ ſuprà ex Achmete notavi, ad lucem Sigillo ſexto faciendam: quę mirum eſt, quàm conveniant.

DE TRIBUS VÆ-TUBIS.

REſtant adhuc tres Tubæ omnium maximæ & graviſſimæ, ideóque trium VÆ appellatione à prioribus diſcriminatæ. Nam poſt quartæ Tubæ ἐξήγησιν *Vidi & audivi*, inquit, *Angelum quendam volantem per medium cœli, dicentem voce magna*, VÆ, VÆ, VÆ *habitantibus ſuper terram, à reliquis vocibus Tubæ trium Angelorum qui deinceps clancturi ſunt.* Item cap. 9. 12. & 11. 14. Nimirum, quum Chriſtiani Romani Orbis incolæ, interim dum priores Tubæ clangerent, novorum idolorum cultu ſeſe contaminaſſent, duplici jam peccato vindicando, quæ ſupererant Tubæ auctiores factæ ſunt. Nam iſtud quoque Romani Orbis peccatum, cum priori cædis Martyrum, deinde in criminis vindicandi cenſum venire, apparet ex eo quòd

quod ſecundo VÆ ſubnectitur elogium. Nempe, *Reliquos homines qui iſtis plagis* (ſcilicet, ut ego quidem intelligo, VÆ iſto & priore) *occiſi non fuerint, non reſipuiſſe ab operibus manuum ſuarum, ut nè adorarent dæmonia, & ſimulacra aurea, & argentea, & ærea, & lapidea, & lignea, quæ neque cernere poſſunt, neque audire, neque ambulare.* Ad Cap. 9.

PRIMA VÆ-TUBA, SEU TUBA V.

PRIMA VÆ-Tuba jamdudum pręteriit. Ea horrenda LOCUSTARUM agmina, ex tartareo *Abyſſi*, jam SATANÆ *operâ adapertæ, fumo* ſcaturientium, Orbi vaſtando emiſit. id eſt, SARACENOS ſive ARABES (gentem populoſam & numeroſam Locuſtarum inſtar) ſtupendâ Muhammedis *Pſeudoprophetiâ* in tot Gentium exitium concitatos.

Fumus enim *ex infernali puteo aſcendens* Muhammediſmus eſt, quem Nebulones Muhammedani *Iſlamiſmum* vocant. Hic Orbem terrarum, Chriſti Solis juſtitiæ imperio & diſciplinâ, diſcuſſis gentilium errorum tenebris, jamdudum illuminatum novâ *caligine* obduxit. Vers. 2.

Et eò quidem concinnior eſt LOCUSTARUM typus, quia locuſtæ quoque Ægyptiacæ ex eadem Arabia venerunt, Ægypto nempe ad Orientem conterminâ. Ità enim Exod. 8. 13, 14. *Dominus adduxit ventum Orientalem in terram.....& apportavit locuſtas,* Vers. 3.

Ad Cap. 9.

ſtas, & aſcenderunt locuſtæ ſuper totam terram Ægypti, reſederúntque in ora tota Ægypti. Adhæc Arabes, propter inſignem Gentis multitudinem, *locuſtis* aſſimilantur. Judic. 7. 12. *Midianitæ & Amalekitæ, & omnes filii Kedem ſeu Orientis, jacebant in convalle tanquam locuſtæ multitudine, cameliſque eorum non erat numerus, ſicut arena quæ eſt in littore maris multitudine.* Ubi obſervandum, Arabes in ſacris literis peculiariter *Filios Orientis* nominari, ut & Arabiam ipſam קֶדֶם KEDEM ſeu Orientem; utiq; reſpectu Ægypti, ubi Iſraelitæ ſic loqui didicerant. Videſis Gen. 10. 30. & 25. 6. 1. Reg. 4. 30. Iſai. 11. 14. Jer. 49. 28. Fortè & Matth. 2. 1. eâdem planè ratione, quâ hodie Aſia minor *Natolia* dicitur, & Arabia felix, reliquis Arabiis ad Auſtrum ſita, *Ayaman*. i. Meridies. Unde *Regina Auſtri*, Matth. 12. Sed hæc obiter.

Similem autem *Locuſtarum* Imaginem, de Aſſyriis Babyloniiſq; Judæam vaſtaturis, videre eſt apud Joelem, duobus primis capitibus: unde hunc typum mutuatum eſſe, non negabit, qui utriuſq; deſcriptionem contulerit.

Ejus verò interpretationem ad *hoſtiles copias* referendam eſſe, oſtendit ex uſu Orientis Achmetes, cujus verba hoc loco inſerenda putavi. Sic igitur ille cap. CCC ex Indorum, Perſarum, & Ægyptiorum diſciplinis.

LOCUSTA *generaliter ad hoſtium multitudinem haud dubiè refertur. Sic enim in ſacris literis perſcriptum eſt, Locuſtas juſſu divino ad vaſtationes regionum inſtar alicujus exercitûs proficiſci.* Hoc de ſacris literis, Indorum ſolorum eſt; ut quicquid in hoc libro Religi-

Religionis Christianæ notitiam sapiat, sicut legenti apparebit. Pergit. Ad Cap. 9.

Si quis aut Rex, aut potestate præditus, Locustas *adversus aliquam regionem profectas, videre visus fuerit: eo in loco multitudinem hostium cum magna potentia expectet; quantúmque Locustæ damni dederint, tantundem & illi nocebunt.*

Jam igitur firmatâ imagine, de reliqua descriptione videbimus.

Data est illis (inquit ver. 3.) *potestas qualem habent terrestres Scorpii: nam habebant* (ver. 10.) *caudas similes scorpionibus, in iisque aculeos quibus nocerent,* & (vers. 5.) *tormentum earum, ut tormentum Scorpii, quando percusserit hominem.*

Id est, non solùm potestatem haberent Locustis propriam, regiones quas permearent erodendi & depopulandi; sed, quod monstri simile, *Caudas instar Scorpionum*; quorum ictu venenum quoque diffunderent. Mira res, *Locusta Scorpio!* Quid autem mali innuat, loqui videtur speciei Serpentinæ symbolum: siquidem Scorpio serpentini generis est. Hujus autem specie, quâ primùm genus humanum decepit, à Deóque avertit Diabolus, amat ipsum Spiritus S. porrò homines seducturum introducere. Unde est illud, Ὁ ὄφις ὁ ἀρχαῖος ὁ πλανῶν τὸν οἰκουμένην, cap. 12. 9. & 20. 2. *Cauda* igitur *Scorpionis cum aculeo*, Diabolicæ illius *Pseudoprophetiæ* Muhammedicæ *propaginem*, cum toto apparatu suo, denotat, quibus Locustæ Arabicæ, haud minùs quàm vi bellicâ fretæ, ubi ubi gentium grassatæ sint (infandum!) nocuere. Imò hoc fœdissimorum errorum syrma primi post homines natos post se traxerunt Saracenis; nec simili

Ad Cap. 9.

(credo) de religione impoſturâ, prætextúque deſtruendi Idolorum cultûs, ulla unquam gens ante hos ſubnixa, ad Orbis imperium contenderat.

Vers. 4.

Sed ipſis dictum eſt, Ἵνα μὴ ἀδικήσωσι τὸν χόρτον τῆς γῆς, οὐδὲ πᾶν χλωρὸν, οὐδὲ πᾶν δένδρον· εἰ μὴ τοὺς ἀνθρώπους μόνους, *homines ſolos, qui non haberent ſignum Dei in frontibus ſuis.*

Pro ſignificatione particulæ εἰ μὴ, ſenſus eſt vel *exceptivus, ut nullam neq; herbam* (nam hęc eſt χόρτος Helleniſtis) *neq; viride neq; arborem læderent, niſi eas herbas ſolas, arbores & viridia quæ Dei ſigno* non erant inſcripta (nempe ut *homines*, ac *herbæ, arbores & viridia* mutuò ſeſe explicent:) Vel poteſt non *exceptivè* ſed *adverſativè* exponi, pro uſu particulæ εἰ μὴ in Helleniſmo* ſacro pro ἀλλὰ· nempe quòd dictũ ſit ipſis, non ut pro vulgarium Locuſtarum more, aut *herbas*, aut *arbores*, aut ullum omnino *viride* depaſcerent, quinimo ut, illis inſuper habitis, *homines ſolos* depopularẽtur; ex eorum ſcilicet numero, quos Angeli Sigillum initio Tubarũ ab earum plagis immunes non fecerat.

Matt. 12. 4. Rom. 14. 14 & alibi.

Utro utro modo accipiatur, de ſignificatione & diſcrimine *Graminis, viridis & arborum* fruſtrà eſſemus ſoliciti; utpote quæ ad τὸ πρέπον figuræ referenda ſint, in quo myſterium non eſt quærendum. Sic enim de Locuſtis Ægyptiacis Exod. 10. 15. *Operiebant ſuperficiem totius terræ, ità ut obſcuraretur terra, abſumebántq; omnem herbam* (Septuag. χόρτον) *terræ & omnem fructum arboris, neque reſidua facta eſt ulla viriditas* (χλωρὸν) *in ulla arbore aut in herba agri per totam terram Ægyptiorum.* Quòd verò noſtræ Locuſtæ homines ipſos affligerent, hinc patet, non eſſe eas ex inſectorum genere, putà naturales locuſtas, ſed ſymbolicas. Qua occaſione operę pretium erit, regu-

regulam iſtam ſemel ponere. Quando quid Typo prophetico tribuitur, quod eidem per naturam non competat, id ad rei typo ſignificatæ intellectum manuducere, próq; ejus conditione interpretationē faciendam monere. Id quod quater ad minimum in hac viſione fieri animadvertes; ut cùm Locuſtis tribuitur, non tantùm poteſtas homines ipſos invadendi, ſed &*facies humana, capilli muliebres, coronæ aureæ, loricæ ferreæ.* quibus omnibus innuitur, non *inſecta*, ſed *homines* deſignari; eóſq; minimè cucullatos, ut multi autumant, ſed omnino qui armis in aliorū perniciem graſſentur. De quibus locuſtis porrò dicitur, Ad Cap. 9

Datum eſſe illis, non ut occiderent homines, ſed ut torquerent eos menſes quinque. Nempe hoc differunt Locustæ Arabicæ ab *Equitibus Euphrateis*, de quibus in ſequenti Tuba. Datum erat *Saracenis*, Romani nominis gentes diu & immaniter cruciare; ſed ipſum *Trientale*, ut ità loquar, *Romanum* alterutra ex parte vitâ ſpoliare, nequaquā datum erat. Nam cùm, interea dum priores Tubæ clangerent, ex politici ſtatûs ruinis, Regnum novum Pontificale veteris Romę, quaſi pari eum alterius ruina paſſu, ſuccreverat: neque hujus, neque novæ illius Romæ Conſtantinopolis Regnum *Saraceni* delere potuerint. Contrà *Turcæ*, urbe regiâ captâ, Conſtantinopolitanum funditus è medio ſuſtulere, ut in ſequenti Tuba audiemus. De *menſibus* autem *quinque*, quibus iſte à Locuſtis cruciatus definitur, commodiùs dicemus, ubi ad eorum repetitionem ventum v. 10. Verſ. 5.

Per eos dies homines quærent mortem & non invenient eam: & cupient mori & fugiet mors ab iis; id eſt, Tanta eſſet iſtorum temporum calamitas, ut homines vitæ ſuæ tæderet. Verſ. 6.

Ad CAP. 9. Nè enim putes nudis perſuaſionibus aut deceptionum præſtigiis actum fuiſſe; armis, ídque ex ipſius Muhammedis inſtituto, rem geſſere. Quorum apparatus ſatis quidem terribilis, unà cum dominationis acquirendæ amplitudine, Gentíſque belligerantis habitu, luculentâ imagine depingitur. Bellicus
Verſ. 7, 8. apparatus ità: *Et figuræ locuſtarum ſimiles equis* (id eſt, equitibus) *paratis ad prælium. Dentes earum, ut Leonum* (id eſt, fortes erant ad devorandum. Joel.
Verſ. 9. 1. 6. Dan. 7. v. 7, 23.) *Et habebant loricas, ut loricas ferreas, & ſonitus alarum ipſarum, ut ſonitus curruum, equis multis currentibus ad bellum.* Tota deſcriptio ex Joele petita eſt, unde ipſa, ut dixi, Locuſtarum imago. Vid. c. 2. 4. cap. 1. 6. cap. 2. 5. Succeſſum & dominationis acquirendæ amplitudinem indicant
Verſ. 7. *Impoſitæ capitibus earum tanquam coronæ ſimiles auro.* Neque ſanè immeritó. Nulli unquam Genti tam latè regnatum fuit, neq; tam brevi temporis ſpacio unquam tot regna, tot regiones, ſub jugum miſſa. Incredibile dictu, veriſſimum tamen eſt: Octoginta, aut non multò plurium, annorum ſpacio ſubjugârunt illi & Diabolico regno Muhammedis acquiſiverunt Paleſtinam, Syriam, Armeniam utramque, totam fermè Aſiam minorem, Perſiam, Indiam, Ægyptum, Numidiam, Barbariam totam ad Nigrum uſq; fluvium, Luſitaniam, Hiſpaniam. Neque hîc ſtetit illorum fortuna, aut ambitio; donec & Italiæ magnam quoque partem adjecerint, ad portas uſque Urbis Romæ. quinetiam Siciliam, Candiam, Cyprum & reliquas Maris mediterranei inſulas. Deus bone, quantus hic terrarum tractus! quot hîc coronæ! Unde dignum quoque obſervatu eſt, non hîc,

ut

ut in cæteris Tubis, *Trientis* mentionem fieri. ſiquidem non minùs extra Imperii Romani fines, quàm intra ipſum, caderet hæc clades, ad extremos uſque Indos ſeſe porrectura. Ad Cap. 9.

Reſtat de Gentis belligerantis habitu. *Et facies earum*, inquit, *ut facies hominum.* Fuerunt *Locuſtæ iſtæ* facie humanâ, id eſt, revera homines (nè quis fortè de *Inſectis* agi putet) *habentes capillos ut capillos mulierum*, id eſt, natione Arabes, qui, inquit Plinius, *intonſo utuntur crine, &* (mulierum more) *mitrati degunt*, Plin. lib. 6. cap. 28. Quibus hodiéq; moris eſt, ut peregrinatores affirmant, ituris in prælium, ex proprio capillo ſibi cornua & cincinnos nectere. Camerar. Operum ſubciſ. Tom. 1. c. 93. Unde perſpicuum evadit, locum à Brightmanno noſtro ex Herodoto in Thalia, quaſi pro Arabum tonſura, laudatum, non de capitis, ſed aut de barbæ tondendę ritu aliquo Arabibus Bacchi imitatione uſitato; cujus & Plinius aliquatenus meminit, cùm *barbam iiſdem abradi ſolitam* dicit, *præterquam in ſuperiori labro:* aut de extremorum crinium rotundatione, citra integram capitis tonſuram, accipiendum eſſe. Quorum utrumque, fortè quia Bacchi, vicini ipſis Deaſtri, cultorum inſigne fuit, Deus populo ſuo vetuit Levit. 19. 27. & 21. 5. Ut ut ſit, quin Plinius Arabes Romæ vidiſſet, nullus dubito.

Sequitur de plagæ duratione, quæ quidem *Quinq; menſibus* determinatur, pro typo *Locuſtarum*, quæ totidem menſibus durant; nempe ab exortu Vergiliarum (veteribus exitu veris dicto, uno circiter ab Æquinoctio verno menſe) quando ex ovis in terra per hyemem relictis, in lucem emittuntur, uſque ad initi-

Ad Cap. 9. initium autumni, quando, alteris ovis ad ſubſequentis anni ſobolem in terram depoſitis, ſtatim moriuntur. Videſis Plinium lib. 11. c. 29.

Voluit tamen Deus, hanc temporis notationem, non modò typo, ſed etiam antitypo convenire; cùm principem terrarum Italiam, & peccati quod plagam attraxerit, anteſignanam *Locuſtis Saracenicis* infeſtandam tradidit, ab anno 830 ad annum 980, id eſt, annis 150, ſeu menſibus annalibus quinque.

Alibi quidem terrarum diutiùs, ſed ordine quodam, & aliis atque aliis temporum intervallis, incubuit plaga; maximè regionibus Orientalibus, Syriæ, Ægypti, atque minoris Aſiæ, quæ capiti Imperii iſtius, quod Damaſci primùm, deinde Bagdadi fuit, conterminæ, in anteriores quaſi corporis Saracenici partes per multa ſecula ceſſere.

Utque illud notem; licèt quaſcunque occupârunt terras, earum incolas venenato illo *Caudæ Scorpioniæ*, quem dixi, ictu cruciavere; tamen Itali aliâ neſcio quâ, & ſingulari ratione *Caudæ Locuſtarum* ictum ſenſiſſe videntur. Toto enim examine corpori aſſimilato, anterioribúſque partibus, ut par eſt, Orienti aſſignatis; quid agmina Africana erunt, tanto à capite intervallo in Occidentem porrecta, niſi *Cauda?* Atqui ab iſtis omnis Italiæ calamitas, quam utique obliquo (vide Scorpionum ingenium) per Mare mediterraneum, ejúſque inſulas Sardiniam & Siciliam, ictu continenter feriebant. quaſi huc nimirum digitum intenderet Spiritus S. cùm, iteratâ mentione *Menſium*, dixerit, *Et habebant caudas ſimiles Scorpionibus & aculeos, Et in caudis ſuis habebant poteſtatem nocendi hominibus* MENSES QUINQUE. Vers. 10.

Ità

Ad Cap. 9.

Ità enim legit Codex Complutenſis, ſuffragantibus Syro, Primaſio, Andrea, & Areta. Cujuſmodi interpretatio licèt temporis deſignationi non inconcinna foret; tamen aliam eſſe, multóque latiùs ſeſe diffundentem Syrmatis illius ſerpentini ſignificationem, jam ſuprà dixi, neque hîc muto. Si quis de ſecundario aliquo ſenſu (cujuſmodi ego haud facilè admittere ſoleo) perſuaderi ſibi patietur, per me quidem licet.

Atque hæc una ratio eſt, quâ *Quinque menſes* typi *Locuſtarum*, rei geſtæ aptari poſſint. Eſt & alia, ſi modò ex eo quòd *Menſes* iſti *quinque* bis ponantur, geminetur calculus: quaſi nimirum voluiſſet Spirit. Sanct. quinarium numerum adhibere, propter analogiam & τὸ πρέπον Typi; duplicare verò, ut antitypo inſigniori aliquo intervallo reſponderet. Quorſum enim alioquin Menſium iſtorum notationem iiſdem penè verbis iteraret? Annon myſterium aliquod huic iterationi ſubeſt? Simile enim alibi, in continua ejuſdem typi deſcriptione, factum non memini.

Hoc igitur ſi arriſerit, comprehendent ANNI TRECENTI, quot bis *quinque menſes* annales efficiunt, nobile illud Regni Saracenici intervallum, quod ab initio Caliphatûs Abaſidarum, (qui primi Bagdadi Imperii ſedem fixerunt) ad eandem Bagdadum à Rege Turcarum Togrulbeco (qui noſtris Tangrolipix audit) captam ducitur; id eſt, ab anno Chriſti 750 ad annum 1055. Amplius quidem hoc ſpatium eſt annis circiter quinque; ſed cùm per *menſes* numeratio fit, dierum aliquot non magìs habenda ratio eſt, quàm, ubi per *dies* computatur,

Ad Cap. 9. *horarum* ſoleat. Illud quoque addi poteſt, commodè incipere hoc intervallum à ſublato ab Urbe Roma Exarchatûs jugo, quo præcedentis Tubæ calamitas deſiit. Hoc enim eodem tempore, fortè etiam anno, contigit.

Si quæras adhuc, quorſum Sp. S integram plagæ Saracenicæ durationem numeris hiſce non comprehenderet, cùm ante hunc Abaſidarum principatum, ab anno nempe 630, Saraceni continuis ſucceſſibus adeò imperium propagâſſent, ut jam quaſi ad ἀκμὴν ſuam perveniſſet: reſponderi poteſt, quia numerus iſte *quinq; menſium*, magis typi *Locuſtarum* fuit, quàm antitypi *Saracenorum*; ideóque qui illis propriè competebat, ſat erat, ſi in iſtis inſigniori aliquâ intervalli ratione exhiberetur, etiamſi non integrè menſuraret. Nihil tamen hîc ſtatuo, ſed aliis, quibus plus à Deo datum fuerit, ampliùs diſquirendum relinquo. Hæc interim difficultas interpretationi de *Saracenis* nihil præjudicat. Nam quamcunque interpretationem ſequeris, eadem difficultas te urgebit.

Verſ. 11. Reſtat adhuc de Rege & nomine ejus. *Habebant*, inquit, *ſuper ſe Regem Angelum abyſſi, cui nomen Hebraicè* ABADDON, *Græcè verò* APOLLYON, id eſt, Perdens.

Videtur Spiritus Sanct. quòd *Angelum Abyſſi* Regem dicit, innuere, *Locuſtas* haſce fore Gentem, non Chriſtianam, ſed infidelem quæ Chriſto nomen non dediſſet. Dicuntur enim Paulo, Epheſ. 2. 1. *filii incredulitatis* ſeu Pagani, *Principi ſubeſſe cui poteſtas eſt aëris*; qui non alius eſt quàm *Abyſſi Angelus*. contrà, qui Chriſtiani fiunt, è *Satanæ poteſtate* erepti ad Deum converti, Act. 26. 18. Quic-

Quicquid ſit, res eſt diſquiſitione digniſſima, cur hunc Abyſſi Principem hîc nomine planè novo & inaudito appellet; neque ut ſolet, *Diabolum*, *Satanam*, *Serpentem*, aut *Draconem?* aut ſi à perdendi notione maluiſſet, cur non potiùs *Aſmodaum*, nomine ἰσοδυναμοῦντι, quo eum Judæi vocare jam aſſueverant; *Abaddonem* verò nunquam? An quia, cùm Muhammedani gloriarentur, non alium ſe Deum colere & adorare, quàm unum illum & ſolum Deum Demiurgum ſeu Factorem Univerſi, qui Chaldæis & Syris עבורא ABUDA audit, ipſíſque adeò Arabibus epitheto אברי ABDI, id eſt, æterni, inſignitur; iis Spiritus Sanctus occurrere voluerit contrarii ſenſûs, ſed ſimilis ſoni vocabulo? Quo nimirum innueret, tantum abeſſe, ut illi (quicquid contendant) ABUDAN vel ABDIN, æternum illum Mundi opificem, venerarentur, ut Dei ipſius æſtimatione, quem μονοπρόσωπον eſſe volunt, neque per Chriſtum adeundum, non ipſum, ſed Angelum nequam ABADDONEM, id eſt, Mundi non *Factorem*, ſed *Perditorem*, Regis ſeu Numinis loco haberent. Sic cùm putarent Jeroboamitæ ſe Deum Iſraelis in vitulis ſuis coluiſſe; ait tamen Scriptura, eos Dæmonibus ſacrificâſſe, 2. Par. 11. 15. Ad Cap. 9.

An verò alluſum eſſe dicemus ad commune Regum Arabię nomen ejus tractûs, unde Muhammedes primitus cum Locuſtis proditurus erat? qui à priſco Rege OBODA in Deorum numerum à ſuis relato, cujuſque à ſepulchro, OBODA regioni Nabatæorum nomen manſit, OBODÆ deinceps, poteſtatis nomine, dicti ſunt; ſicut Ægypti Reges *Pharaones* & *Ptolemæi*, Romanorum *Cæſares*, Parthorum *Arſacæ*,

Ad Cap. 9. & contermini Petræorum Arabum Reges *Aretæ?* Stephanus enim Byzantinus, ex Uranii, rerum Arabicarum ſcriptoris, lib. 4. Ὀβοδα, inquit, χωρίον Ναβαταίων, ἔστι Ὀβοδης ὁ βασιλεὺς, ὃν θεοποιῆσι τὴ βαπλαι. Ab hoc autem deinceps iſtius tractûs Reges communi nomine OBODAS dictos, fidem mihi faciunt Strabo & Joſephus. Quorum hic duos ejus nominis commemorat; unum bellicoſum, nimiúmque Judæis clade Alexandri Jamnei regis ſui notum; quem nempe OBODAS iſte Arabs, toto exercitu ejus in Galaadenſi regione cæſo, Hieroſolymam fugere coegit, annis ante Chriſtum plus minùs nonaginta. quem non immeritò Judæi levi immutatione ABADDON, id eſt, Perditorem, vocare potuiſſent. Alterum ſegnem & inertem, Herodis magni σύγχρονον, cujus Procurator Syllæus (qui res ejus pro libitu adminiſtrabat) Salomen Herodis ſororem in matrimonium ſibi depoſcebat: ſed voto fruſtratus atq; inimicus Herodi factus, eundem calumniis apud Auguſtum in non exiguum diſcrimen adduxit. Hujus OBODÆ ſemel atque iterum meminit Strabo in Ælii Galli expeditione Arabica, ídque cum eadem pigritiei nota; áitq; eundem vicino Regi Aretæ (commune & hoc nomen, ut dixi, conterminorum Petræ Regum fuit) affinitate conjunctum fuiſſe. Ex eodem colligere eſt, OBODÆ regnum magis Auſtrum verſus ſitum ad Mare rubrum pertinuiſſe. quo terrarum tractu Iſmaelitas & Saracenos habitâſſe credo. Certè enim Nabathæos, quorum tractus, Uranio teſte, OBODAM regionem complectebatur, Iſmaelitas fuiſſe conſtat, à Nabaiotho Iſmaelis primogenito id nominis ſortitos. Addit Joſephus, OBODA vitâ defuncto, Aretam,

De bello Judaic. lib. 1. cap. 3

Antiquit. Jud. lib. 16. c. 11, 13, 14, 15.

Gen. 25. 13

tam, favente Auguſto, regnum ejus ſuo adjunxiſſe. Ad Cap. 9.

Si quis igitur, tantâ rerum convenientiâ & concinnitate permotus, opinabitur Sp. S. hoc nomen ABADDON de induſtria adhibuiſſe, ut παρονομασίᾳ quadam nominis Regii ad eam Gentem digitum intenderet, cui in more poſitum Reges ſuos ſimili appellatione cognominare: ego quidem eum veniâ dignum putem; præſertim cùm utraque vox ab eadem radice eſſe videatur, Hebræis & Arabibus communi, licèt ut aliàs quoque fit, ſignificatione contrariâ; cúmq; apud veteres Prophetas haud omnino diſſimilium alluſionum exempla quandoq; occurrant. Sic quod Iſaias Chriſtum נֵצֶר NEZER, id eſt, *ſurculum* vocaverit, Matthæus ad Jeſu NAZARENI nomen traduxit c. 2. verſ. ult. Videſis etiam Jer. 1. 11, 12. שָׁקֵד SCHAKED *amygdalus*, שֹׁקֵד SCHOKED *advigilo*. Amoſ. 8. 2. *caniſtrum* קַיִץ KAJITZ, id eſt, *æſtivorum fructuum, quia venit* קֵץ KETZ, id eſt, *finis*, &c. Et verò etiam ab ejuſmodi agnominationibus non abhorruiſſe citerioris ſeculi Judæos, vel illud argumento ſit, quòd paulò ante Salvatoris adventum, propterea quòd *Acheron*, Inferorum (ut ex Græcis audierant) fluvius, ſono non abluderet ab *Accaron* civitate Paleſtinorum (ſic enim olim *Ekron* pronuntiatum * eſt) ex *Beelzebub* hujus Deo nomen fecere Satanę, illius, id eſt, Inferorum Principi. Hinc enim, ut quidem conjicio, in Evangelio *Beelzebub princeps Dæmoniorum*. * Vid. LXX

Ad Cap. 9.

SECUNDA VÆ-TUBA, SEU *TUBA VI.*

VÆ PLAGARUM altera (quę etiamnum (proh dolor!) incumbit) TURCARUM *Tetrarchas*, equitatu numerosissimo, ab Euphrate (ubi jam diu hæserant) in Orbem Romanum evocat.

Vers. 14. *Solve* (inquit *vox ex quatuor cornibus Altaris thymiamatis*) *quatuor illos Angelos alligatos ad magnum Flumen Euphratem.* Angeli ponuntur pro Gentibus quibus præesse credebantur, non inusitatâ in hoc Libro metonymiâ. Id ex eo apparet, quòd qui continuò ex oraculi præscripto solvuntur, *Exercitus equestres* sunt, hominibus occidendis emissi.

Angelos *alligatos* jubet *solvi*, ut qui, durante adhuc superiore plagâ, in Romanas regiones irrumpentes, ad Euphratem aliquot seculis cohibiti fuerant, nè porrò pro libitu grassarentur. Principiò quidem paulò ulteriùs sunt progressi, ad Nicæam Bithyniæ usq;; sed ab Argonautis Christianis in expeditione Hierosolymitana, devicto Solymanno, denuo ad Euphratem compulsi.

Porrò *Angeli quatuor* totidem Sultanias seu Regna significant, in quæ Turcæ, cùm primùm, trajecto Euphrate, in vicinos Asiæ & Syriæ tractus sese effudissent, dispertiebantur. Hæc ex Scilice authore Græco sic enumerat Christophorus Richerius de origine Turcarum; Asianum, Alepiense, Damascenum & quartum Antiochenum. Quorum primum Asianum seu minoris Asiæ, exordium suum debuit

1 Cutlu-

Cutlumuſo, (Elmachino, ni fallor, alio nomine, Sedyduddaulæ dicto) Tangrolipicis illius qui Bagdadum primus ceperat, propinquo. Is, eodem teſte, Cæſareâ Cappadociæ circa annum Chriſti 1080 expugnatâ & Romanis ademptâ, ſibi & poſteris ſuis, in Aſiæ partibus Euphrati conterminis, regnum inchoavit. Cujus fines deinde ampliavit ſucceſſor Solymannus ad Nicæam Bithyniæ uſq; ſed à noſtris in famigerata illa expeditione Hieroſolymitana devictus, univerſam quam acquiſierat regionem relinquere & ad Euphratem recedere coactus eſt. Atq; hujus Tetrarchiæ ſedes, etſi initio alibi, maximam tamen partem, Iconii in eadem Cappadocia fuit. Ad Cap. 9.

Secunda Tetrarchia Alepienſis fuit, metropoli Alepo, quæ ramo Euphratis, eò à Sultanorum quodam deducto, adluitur. Hujus Rex primus (teſte Elmachino) Siarfuddaulas, anno 1079 Alepo potitus. Cui ſucceſſit Roduwanus Salghucides, anno 1095. 2

Tertia Tetrarchia, metropoli Damaſco, conditorem habuit (eodem teſte) Tagjuddaulam Niſum Togrulbeci (ſeu Tangrolipicis) nepotem, qui Damaſcum ſubjugavit eodem anno 1079. Hujus ſucceſſor Ducathes ſeu Decacus fuit, Roduwani Sultani Alepienſis frater anno 1095. Cui, inquit Scilix, parebat omnis regio Decapoleos. Hæc autem Euphratem attingebat. 3

Hiſce quartam annumerat Scilix Antiochenam, modicis finibus contentam. Nam, inquit, Laodiceam uſque Syriæ Caliphas Ægypti è gente Saracenica poſſidebat regiones. Sed cùm regnum illud Antiochenum, ut ab Euphrate paulò remotius, ità non 4

non niſi quatuordecim annis duraverit, Antiochiâ ſtatim, Boamundo duce, à noſtris captâ: præſtiterit forſan, eo expuncto, Imperium Bagdadenſe ſeu Perſicum ab altera Euphratis ripa (nam Scilix tantùm Turcarum qui Euphratem trajecerant, rationem habuit) quaternario complendo adjicere: ut ità Imperium Turcicum univerſum, ultra citráq; Euphratem, in quatuor iſtas Sultanias diviſum intelligatur. Quas cum Regum ſive Sultanorum aliquouſque ſerie, en tibi, Lector, ſequenti diagrammate diſtinctiùs contemplandas.

¶ Regni Turcici ad Euphratem quadripartiti Diagramma, ab anno 1080 & deinceps, ex Elmachino Arabe & Scilice authore Græco.

Ultra Euphr.	*Cis Euphra-*		*-tem.*
BAGDADI	CÆSAREÆ Cappadociæ & ICONII, &c. in Aſia minore.	ALEPI	DAMASCI
Togrulbecus			
Olbarſalanus			
.....			
Ghelaluddaulas *ann.* 1071	Sedijduddaulas *cognomine* Cutlumuſus	Sjarfuddulas Roduwanus	Tagjuddaulas Decacus
Barkyarucus	Solimannus	Tagjuddaulas *fil.*	Ababacus, *adhuc in vivis anno* 1115.
Muhammedus	Tanifmanius	Bulgarus, *cæpit anno* 1117.	* * * * * * * * * * * *
Mahmudus, *cæpit ann.* 1117.	Maſutus		Sanguinus
	Caliſaſtlanus		Noradinus
&c.	&c.		&c.

Atque

Atque iſte rerum Turcicarum ſtatus fuit, cùm primùm Euphratem trajecerant, &, quaſi irruptionis in terras Romanas ſpecimine dato, præſtitutis ad Euphratem carceribus coercerentur. Ut ut autem iſte Sultaniarum quaternio ad tempus laxationis integer non permanſerit, ſed varias mutationum vices ſubierit: tamen Spiritus Sanct. gentem æſtimat ex primæ irruptionis ſtatu, quo, Euphrate trajecto, ligati ſunt ad tempus conſtitutum. Ad Cap. 9.

Et ſoluti ſunt quatuor iſti Angeli, parati ad horam & diem & menſem & annum, ut occiderent tertiam partem hominum. Verſ. 15.

Solutio hæc Turcarum contigit paulò ante annum 1300, Caliphatu Bagdadenſi (quocum VÆ primum penitus expiravit) jam à Tartaris ann. 1258 extincto, & Turcarum reliquiis, qui ab altera Euphratis ripa, rerum in Perſide hucuſque potiti fuerant, ab iiſdem ann. 1289, quaſi ex funda, in regiones Romanas cis Euphratem ejectis. Sic enim rebus comparatis, accidit quoque, ut eodem tempore Latini, qui primis Turcarum irruptionibus, jam ducentis ferè annis, fræna & compedes injecerant, ex Syria & Palæſtina, anno utique 1291, expellerentur. Interea Turcæ, licèt in varias adhuc Satrapias diſtracti, totam ferè Aſiam minorem incurſare, inter ſeſe hæreditario jure poſſidendam dividere, tandémque ſub unius Othomanni imperio coeuntes, omnimodò laxatis habenis, immane graſſari, in Europam trajicere: neq; ullâ ampliùs vi iiſdem obſiſti potuit, donec Imperium Conſtantinopolitanum univerſum miſerandis ſtragibus excidiſſent.

Sed & hujus cladis Conſtantinopolitanæ tempus

Ad Cap. 9

quoque, ni fallor, deſignat Oraculum: fore nempe eam poſt *Diem*, *Menſem*, & *Annum*, id eſt, annos 396, quàm Turcæ, dato iis Imperio Saracenico, à Deo parari cœperant; id eſt, à *Bagdado* ab iiſdem capta. Hoc enim irruptionis Turcicæ initium fuit, quo Imperium Saracenicum demoliri cœptum, & Ditio Romanorum affligi; ità tamen, ut vis mali ad præſtitutum laxationi tempus coercenda eſſet. Intervallum certè temporis ad unguem congruit. Refert enim is, quem jam aliquoties laudavi, Elmachinus hiſtoricus Arabs, quo nemo temporum momenta accuratiùs annotavit, *Togrulbecum Salghucidem*, Turcarum principem (hic eſt qui noſtris *Tangrolipix* dicitur, ex familia *Zelzuccia*) captâ regiâ urbe *Bagdado*, à Calipha *Cajimo Biamrilla* veſte imperiali indutum, atque regno inauguratum fuiſſe, ann. Hegiræ 449, id eſt, Chriſti 1057. *tunc*, inquit, *ſtabilitum ei fuit imperium*. Ab hoc igitur tempore Turcæ, datâ iis Imperii Saracenici arce, cum tota ditione Tranſeuphratenſi, præparati ſunt, ut poſt *Diem*, *menſem*, & *annum* propheticum *occiderent tertiam partem hominum*; id eſt, anno Chriſti 1453, Imperii Romani in Oriente reliquum, captâ regiâ urbe Conſtantinopoli, funditus excinderent. Intervallum enim, ab anno 1057 ad annum 1453 captæ Conſtantinopoleos, eſt præciſè annorum 396. quorum *Dies* efficit unum, *Menſis* 30, *Annus* 365. Tanta eſt hîc accuratio calculi, ut facilè quis in ſuſpicionẽ deveniat, etiam *Horam* (quæ juxta cæterorum rationem quindecim dies efficeret) eventui pariter reſponſuram, ſi menſis quoque inaugurationis *Togrulbecianæ* perindeatq; annus proditus fuiſſet. Interim,

donec

donec illud conſtiterit, Ὥρα hîc ſumi poteſt, non pro viceſima diei parte, ſed pro *tempore opportuno*, & conjunctio Καὶ exponi ἑτοιμασθέντες, quaſi *Parati in tempus opportunum*, nempe, *in diem, menſem, & annum, ut occiderent tertiam partem hominum.* Quot verò anni deinceps currerent, ad Regni Turcici excidium, nuſquam habetur: tantummodo, ad finem temporum Bestiæ id futurum dicitur; nempe Væ ſecundum tunc abiturum, quando Væ tertium Regno Bestiæ abolendo immineret, cap. 11, verſ. 14, 15. Ad Cap. 9.

Sed priuſquam hinc abeam, illud haud ſanè invitus fatebor; ni tam exacta prophetiæ cum re geſta convenientia quaſi manus mihi injiceret, aliam, nempe iſtiuſmodi interpretationem, haudquaquam diſpliciturum fuiſſe: Angelos iſtos ad omnem occaſionem paratos & inſtructos fuiſſe, ſive *horâ*, ſive *die*, ſive *menſe*, ſive etiam *anno* ad rem gerendam opus fuerit. Sed an veriſimile ſit, tam accuratum temporis reſponſum, qualem hîc eventus exhibet, caſu contigiſſe, penes alios judicium eſto. Erit fortè cui religio erit exiſtimare.

Sequitur de qualitate & numero copiarum: *Et numerus*, inquit, τῶν ἱππικῶν, *exercitûs equeſtris duæ myriades myriadum.* Equitatum nominat, nec quid præterea copiarum in tota plagæ deſcriptione; quaſi hic hoſtis ab Euphrate totus *Equitatus* eſſet. An quia in militia Turcica Equitatus peditatum tantum ſuperet, ut hic præ illo nullo numero ſit? Imò (quod Spirit. S. præcipuè reſpexiſſe credo) quia hic ipſe character eſt, jam dudum ab Ezech. ſacratus, Gentis Magog, quâ Turcæ oriundi ſunt. Sic enim ille in prophetia illa celeberrima de Gog (nomen hoc Verſ. 16.

Ad Cap. 9.

* R. Moſes bir Nachman in Pentateuchum, *Gog*, inquit, *nomen generale quo vocatur omnis princeps Magog.* Idem Joannes Baptiſta ex Judæo chriſtianus in prologo partis ſecundæ. Leunclavius in Pandectis Hiſtoriæ Turcicæ P. 186. Gog *Turcis hodie dicitur* Giog *vel* Kiog, *unicâ tantùm ſyllabâ; unde* Kiog Can, *qui alias* Gog Can, *&c.* Gog Elp, *qui &* Gug Elp.

fuit Ezechielis ævo Regum Magogicorum *commune, ſicut Pharao Ægyptiorum) gentem eam deſcribit ab Equeſtri militia, cap. 38. 4. *Et educam te*, inquit, *& omnem exercitum tuum*, Equos & Equites *loricis veſtitos univerſos.* Iterum v. 15. *Et venies de loco tuo à lateribus Aquilonis, tu & populi tecum*, Ascensores Equorum universi, &c. Porrò Gogus iſte vocatur *princeps primarius Meſchek & Tubal*; id eſt, qui finibus ſuis egreſſus, utrique Armeniæ, ultra citráq; Euphratem, imperitaret. Citerioris hîc Armeniæ nomine Cappadocas comprehendo, antiquitus *Meſchinos* & *Moſchos* nuncupatos, ubi & oppidum primarium *Mazaca*, poſtea Cæſarea dicta, & in eodem tractu *Moſchici* montes, incolarum à *Meſchek* oriundorum non obſcura indicia. Ulterior ſeu major Armenia eſt, quæ hodie à Turcarum incolatu Turcomania dicitur; in qua olim Urbs *Thelbalana*, *Tibareni* & *Balbiteni* populi, *Teleboas* fluvius & alia nominis *Tubal* veſtigia. Non tamen, quod Ezechiel narrat, bellum, de hac quam Joann. deſcribit, Turcarum irruptione capiendum (hanc ille tantummodo innuere videtur) verùm de alia ſub Judæorum reditum noviſſima, ídq; ſi fas eſt conjicere, hac quæ nunc occupat priùs nonnihil recedente, intelligendum eſt.

Sed de *Equitatûs* typo, eſt & aliud quod bona Lectoris cum venia adjiciam: Sed pacto, nè quis me putet, nominum & etymologiarum ludificationibus plus nimiò indulgere. Cibi etiam ſolidi & bene præparati, cum condimento ſuaviores eſſe ſolent. Nè igitur faſtidiat Lector, ſi ejuſmodi quid apponam. *Turcas* ſcilicet, ante ſolutionem, longo jam incolatu *Perſas*

ſus fuiſſe, eóque nomine Byzantinis hiſtoricis paſſim appellatos. Certè Nicetas, qui maximam temporis partem, quo apud Euphratem cohibiti ſunt, hiſtoriâ complexus eſt, ferè ſemper *Perſas* vocat, rariſſimè *Turcas*. PERSÆ autem, ſi attendas, vel ipſo nominis ſono, EQUITES ſunt: quandoquidem פרס PARAS, quo nomine in ſacris libris vocatur *Perſia* (quacum eadem eſt, aliâ tantùm pronuntiatione *Parthia*) tribus linguis Orientalibus, Hebraicâ, Chaldaicâ, Arabicâ, *Equum* vel *Equitem* deſignat. Hac igitur ratione EQUITES *Euphratæi* ſunt TURCOPERSÆ, id eſt, Euphratis accolæ gentilitio nomine *Equites* dicti. Ad CAP. 9.

Nec deeſſe videtur (ſi quis fortè inſolentiam objiciat) hujuſmodi alluſionis exemplum apud Danielem cap. 8. ubi Macedones, qui tunc temporis ÆGEADES (hoc eſt, *Caprini*) dicebantur, typo *Caprarum*, Réxq; *Hirci* figurâ deſignatur. *Ecce*, inquit, HIRCUS *caprarum* (id eſt, caprarum maritus) *venit ab Occidente*, &c. Innuit autẽ Alexandrum magnum, *Ægeadum* regem. Illi Macedones ſunt. Ità enim Gens iſta vocabatur, quà prima Regni ſedes erat, à Carano conditore, ducentis plus minùs ante Danielem annis. Occaſionem nominis ex Trogo refert epitomator Juſtinus lib. 7. cujus verba aſcribere non gravabor. *Caranus*, inquit, *cum magna multitudine Græcorum, ſedes in Macedonia reſponſo oraculi juſſus quærere, cùm in Emathiam veniſſet, urbem Ædeſſam, non ſentientibus oppidanis propter imbrium & nebulæ magnitudinem, gregem Caprarum imbrem fugientium ſecutus, occupavit: revocatáſque in memoriam oraculi, quo juſſus erat, ducibus Capris imperium quærere, regni ſedem ſtatuit; religioſéque poſtea obſervavit, quocunq;*

Ad Cap. 9. *agmen moveret, ante ſigna eaſdem Capras habere, cæptorum duces habiturus quas regni habuerat authores. Urbem Ædeſſam ob memoriam muneris* ÆGEAS, *populum* ÆGEADAS *vocavit.* Vide cætera.

Tanta eſt hîc concinnitas, ut quis ſuſpicari poſſit, etiam *Arietis* de Rege Perſarum in eadem Viſione typum, ad nominis ELAM (quod alterum duorum eſt, quo ea Gens appelletur) ſignificatum alludere. אַיִל enim Hebræis (unde nomen אַיִל Aries) & אוּלַם atq; עִילַם Chaldæis, idem ſignificant, nempe *Fortem ſeu robuſtum eſſe.* Fortè igitur עִילַם ELAM iſtis, ut illis אַיִל, Arietem ſonabat, indéque Rex ELAM hoc typo Danieli figuratur. Ut ut ſit, quando res ipſa aliunde firmatur, non poteſt non hujuſmodi nominum cum typo convenientia, harum rerum ſtudioſis pio oblectamento eſſe; ſiue id caſu, ſive ſecùs, accidiſſe credendum ſit. Atq; hæc obiter.

Verſ. 16. Jam iterum in viam ad *Equites Euphrataos* redeo: quorum numerus, inquit, δύο μυριάδες μυριάδων, *duæ myriades myriadum.* Alii, μυριάδες μυριάδων, expuncto δύο, ut c. 5. 11. Significatur autem multitudo immenſa, ut Pſal. 68. 18. *Curruum Dei duæ myriades, millia duplicia.* eſt enim Μυριὰς רִבּוֹא vel רִבָּבָה ex iis vocibus numeralibus quæ in Hebraiſmo ſolent indefinitè ſumi, ut apud Latinos *Sexcenti*; neque *decem millium* numerum, ſed ingentem quemcunq; denotare; præſertim cùm ſic geminetur, ut Dan. 7. 10 videre eſt. Quantæ autem, quámque immenſæ in expeditionibus ſuis Turcarum copiæ fuerint, hodiéque eſſe ſoleant, nemini ignotum eſt.

Et audivi, inquit, *numerum eorum.* Siquidem quæri potuit, unde Joanni de numero conſtiterit, ut quem in

in Visione subducere haud ei fuerit possibile. *Audivi*, inquit. Simile in aliis quoque Visionibus fieri existimandum, quoties narratur aliquid quod Viso exhiberi non poterat; nempe de eo voce admonitum fuisse Apostolum. Ad Cap. 9.

Sequitur de armatura: *Atque ità vidi*, inquit, *equos aspectu, & qui insidebant ipsis; habentes* (scilicet) *thoraces igneos, hyacinthinos & sulphureos, & capita equorum quasi capita leonum, & quasi ex ore eorum prodierat ignis, fumus & sulphur; à quibus occisa fuit tertia pars hominum.* Vers. 17.

Nusquam apud ullum Prophetarum, aut alibi in sacris literis, occurrit Imago hujusmodi de *Igne, fumo hyacinthino, & sulphure*. Quare juxta literam accipio, de novo illo & ante hanc Tubam prorsus incognito armorum genere, quibus hostes isti Euphratei statim post solutionem suam usuri essent: *Bombardas* intelligo, *Ignem, fumum & sulphur* evomentes. Pulvis enim *bombardicus pulvis* est *ignivomus, fumo hyacinthino, materiâ sulphureâ*: quo qui in bello utantur, hostium sese sensibus ingerunt, *quasi loricis igneis, hyacinthinis & sulphureis* obtectos, ob medium igne, fumo, & sulphuris odore corruptum: ob quod, & *Equorum capita* truci & terribili specie cernuntur, *quasi Leonum*. Hinc Joannes dicit, se *vidisse* Equos & equites, non revera, sed *aspectu* tales; *aspectu*, inquam, ἐν ὁράσει, non revera, *habentes thoraces igneos, hyacinthinos & sulphureos; aspectu, habentes capita instar Leonum*: denique *aspectu*, non revera, *ex ore equorum prodisse ignem, fumum*, & *sulphur*; quippe res ità ex adverso intuentibus apparere solet. Hæc est vis τῆς ἐν ὁράσει, quod bis hoc sensu usurpatum Capite quarto

Ad CAP. 9. to, vers. 3. Ὅμοιος ὁράσει λίθῳ ἰάσπιδι, καὶ ἴρις ὁμοία ὁράσει σμαραγδίνῳ. Neq; alibi, nisi semel tantùm, vox illa in N. T. comparet.

A Triga verò ista bombardica, *Ignis, fumi,* & *sulphuris* addit, *occisam esse tertiam partem hominum*, id est, qui ex TRIENTE illo hominum fuerant, quem *Orbem Romanum* diximus. Neque enim necesse est, hîc aut alibi, ubi *Trientis* mentio, universum *Trientem* intelligi, sed partitivè sumi. Cujusmodi Ellipseos voculæ partitivæ, cùm alibi in his literis, tum in hoc libro occurrunt exempla: ut Jud. 12. 7. *Sepultus est Jephte in Urbibus Gilead*, hoc est, *aliqua urbium*. Et Apoc. 17. 16. *Decem cornua odio prosequentur Meretricem*, id est, aliqua ex illis. Sic *Occisa fuit Tertia pars* (τὸ τρίτον) *hominum*, id est, Qui ex Tertia illa parte.

Hoc autem in Constantinopolitano excidio, quis nescit abundè impletum esse? Annon Urbs illa nobilissima, TRIENTIS hominum caput, machinis istis ignivomis expugnata & internecioni data fuit? Audi Chalcocondylam. *Mechmetes*, inquit, *in expeditione contra Byzantium, Bombardas fieri curavit maximas, quantas novimus eâ tempestate nunquam extitisse—Eas undique per castra dispersit, ut globulos in Græcos jactarent—Quarum unius tanta fuit magnitudo, ut à septuaginta jugis boum & à viris bis mille trahenda fuerit—Huic ab utroque latere aliæ duæ quoque maximæ adjungebantur, quarum singulæ lapidem emittebant, cujus pondus erat dimidium talentum—Eas sequebatur Bombarda illa admiranda, quæ torquebat globum, cujus pondus continebat tria circiter talenta, & magnam muri partem sternebat—Cujus tonitru tantum*

tum fuiſſe traditum eſt, ut finitima regio uſque ad quadraginta ſtadia concuteretur—Hæc Bombarda interdiu ſeptem ejaculabatur globos, noctu unum, qui diei ſignum erat, & indicabat, ubinam eo die globos torqueri oporteret. Qui plura ſcire deſiderat, útque etiam in oppugnatione maritima *Bombardæ* adhibitæ fuerint, útque mœnia quadraginta diebus *Bombardis* fortiter quaſſata tandem corruerint, útque Longus Genuenſium Dux cum ſuis, *Bombardarum* globulis icti, locum deſeruerint, atque viam Turcis in urbem patefecerint, adeat Chalcocondylam ipſum. Ab eodem quinetiam diſcet, iiſdem armis ab Amurathe, Mechmetis hujus patre, Iſthmum Peloponneſiacum quoque expugnatum, & Peloponneſiacos imperata facere coactos: à Mechmete autem ipſo, ſtatim poſt captam Conſtantinopolin, vi quoque *ignivomâ* expugnatâ Corintho, penitus ſubjugatos fuiſſe. Ad Cap. 9.

Huic de armis ſubjungitur aliud de *Equorum* & *Equitum* ingenio. *Poteſtatem ipſorum eſſe, non in ore tantùm* (de qua hactenus) ſed & *in caudis. Nam caudas eorum ſimiles eſſe ſerpentibus, habentes capita per quæ lædunt.* Hoc eſt, idem quod de Saracenis ſuprà dictum fuit, de Turcis quoq; obtinere. Eos nempe, non vi modò hoſtili, ſed & *Muhammedicæ impoſturæ ſyrmate,* perniciem, ubi graſſentur, afferre. Unde non minùs hi, quàm Locustæ *Saracenicæ,* (quarum religionem imbiberant,) *caudâ ſerpentes* ſunt. Quòd verò alia his, alia illis attribuatur *Caudæ ſerpentinæ* ſpecies, id ex naturali effigiei utriuſq; Locuſtarum & Equorum, diverſitate naſcitur, quâ illis ſpiculata Scorpionum cauda, his caudæ ſerpentinis capitibus conveniebant maximé. Vers. 19.

Ad CAP. 9. Vers. 20.

Cæterùm *reliqui hominum, qui non occiſi ſunt his plagis* (ſeu qui has plagas evaſerant) *non reſipuerunt ab operibus manuum ſuarum, ut nè adorarent* DÆMONIA *& ſimulacra aurea & argentea & ærea & lapidea & lignea, quæ neque cernere poſſunt, neque audire, neq; ambulare, &c.*

Qui verò iſti ſint, haud difficile erit colligere; cùm in toto Orbe Romano, aut cis Euphratem, nulli jam ſint qui *Simulacra* colant (proh pudor & dolor!) præter Chriſtianos. Annon igitur iidem illi *Dæmonia* quoque colant, neceſſe eſt, cùm utrumq; iiſdem hoc loco aſcribatur? At quæ tandem *Dæmonia*, inquies? Non ſanè, quæ ipſimet pro impuris ſpiritibus habeant, ſícque vocitent (quis enim hos ſciens volénſque coleret Chriſtianus?) ſed quæ hoc nomine à Gentilium Theologis intelligebantur, *Deaſtros*, quà Angelorum, quà *Mortuorum nominibus conſecratos, tanquam Mediatores inter Deum & homines. Πᾶν τὸ δαιμόνιον, inquit Plato, μεταξὺ θεοῦ καὶ θνητοῦ. DÆMONES *medii ſunt inter Deos & mortales.* Item, Θεὸς ἀνθρώπῳ οὐ μίγνυται, ἀλλὰ διὰ δαιμονίου πᾶσα ἡ ὁμιλία, καὶ ἡ διάλεκτος θεοῖς πρὸς ἀνθρώπους. Idem cæteri Platonici & plerique aliarum ſectarum Philoſophi, Epicureis exceptis. Apuleii ſolius verba aſcribam, quibus Platonis & reliquorum ſententia plenè & perſpicuè continetur. DÆMONES, inquit, *ſunt mediæ Poteſtates, per quas & deſideria noſtra & merita ad Deos commeant, inter mortales cœlicoláſque vectores, hinc precum, indè donorum; qui ultrò citróque portant, hinc petitiones, indè ſuppetias, ſeu quidam utrinque interpretes & ſalutigeri. Neque enim,* inquit, *pro Majeſtate Deûm cœleſtium fuerit, hæc curare.* Scilicet dupli-

*Vide Heſiod. Ἔργα. verſ. 121.

In Sympoſio.

De Dæmonio Socratis.

Conſulat Lector Auguſtin. de Civit. Dei lib. 8. & 9.

duplices Deos habuere; *Cœleſtes*, qui in cœlo & ſtellis perpetuò reſidentes, neque ad hæc terrrena prope ſe demitterent, neque eorum contagione temerandi (hi propriè & ſingulariter *Dii* dicebantur:) Alios *Dæmones*, qui, tanquam medioxuma numina, & cœleſtium ſeu ſummorum Deorum adminiſtri, res humanas procurarent. Illos Scriptura ſacra (ſi quid conjicio) *Exercitum cœli*; hos (præſertim qui ex mortuis fiebant) BAALES vocat, à Rege Babyloniorum ſive Aſsyriorum *Baale*, ſive, Chaldaicâ pronuntiatione, *Belo*, qui primus poſt mortem à ſuis in DÆMONEM conſecratus eſt. unde poſtea factum, ut iſtiuſmodi numina BAALIM, id eſt, *Baales* dicerentur; ut *Baalpeor*, *Baalberith*, *Baalzebub*, *Baalmoloch* (Jer. 19.) quemadmodum à primo Imperatore *Julio Cæſare*, reliqui deinde Imperatores Romani *Cæſares* dicti ſunt. Quàm autem hæc DÆMONUM Theologia conveniat cum Sanctorũ & Angelorum cultu apud Pſeudochriſtianos, res ipſa loquitur: hoc tantùm diſcrimine, quòd illis plures erant Dii ſupremi ſeu cœleſtes; nobis tantùm unicus eſt, Pater omnium. Et verò unicum quoque Mediatorem eſſe oportuit, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, niſi quòd Pſeudoprophetæ plures inſtar DÆMONUM introduxerint. Planè juxta quod Paulus prophetavit, 1. Tim. 4. 1, 2, 3. Futurum *poſterioribus temporibus, per falſiloquorum hypocriſin* miraculorum *mendacia confingentium*, pérque ementitam Monachorum *conjugio* & *cibis* ex voto abſtinentium ſanctitatem; ut διδασκαλίας δαιμονίων, id eſt, Theologia hæc DEASTRORUM in Orbem poſtliminio reduceretur. Quadrabit interpretatio, ſi Genitivum δαιμονίων paſſivè

Ad CAP. 9.

Videſis Hieron. in c. 23. Ezech. Item in Hoſ. c. 2. & Iſaiæ c. 46.

sivè sumas, ut sit Doctrina de Dæmonibus, sicut Heb. 6.2. διδαχὴ βαπτισμῶν, διδαχὴ ἐπιθέσεως χειρῶν, &c. Nam sanè illud ἐν ὑποκρίσει ψευδολόγων, & quæ sequuntur, ut syntaxeos ratio salva sit, per rectionem duorum substantivorum exponendum est, ἐν præpositione instrumentum & causam (quod ex Hebraismo familiare est) denotante. Sed de hoc loco alibi, in peculiari tractatu, fusiùs disserui, neque hîc repetere animus est.

TERTIÆ VÆ-TUBÆ, SEU *TUBÆ VII præconium.*

Ad CAP. 10

ABsoluto sextæ Tubæ Viso (nam unius Tubæ unicum tantùm Visum est, sicuti & Sigillorum & Phialarum) proximus locus ordine rerum debebatur clangori Septimę. Quo tamen Spiritus S. in Prophetiam ΒΙΒΑΑΡΙΔΙΟΝ, quò jam transiturus est, dilato; nè quid interea Prophetiæ SIGILLORUM modò finiendæ, ad complementum sui deesset, vicem clangoris differendi supplet juramento, quo eventus Tubæ saltem de genere indicatur. Fore nimirum, cùm Angelus iste clanxerit, ut Bestiâ Romanâ, finitis novissimi capitis temporibus, deletâ, *Mysterium Dei consummetur sicut annunciavit servis suis Prophetis.* Ità enim jam olim Danieli prędictum fuit, Bestiâ quartâ interfectâ, Regem Sanctorum universo Orbi terrarum imperaturum (c. 7.) unáque

unáque promiſſum illud glorioſum de inſtauratione Iſraelis impletum iri. [c. XII]. Quin enim Regnum hoc illud ſit, quod *Myſterii Dei complementum* vocat, dubitare non ſinet acclamatio illa eidem Tubæ poſtmodum clangenti ſubjuncta: *Facta ſunt regna hujus Mundi Domini noſtri & Chriſti ejus, & regnabit in ſecula ſeculorum:* ut mirum ſit, reperiri potuiſſe, qui id aliorſum acciperent. Igitur nec *tempus illud*, cujus, hic jurat Angelus, nihil ſuperfore ampliùs, aliud eſſe poteſt, quàm aut *Tempus* 4. *Monarchiarum* univerſè, aut (quod vero propius, ſed tantundem eſt) *noviſſimi Regni*, id eſt, Romani, *periodus noviſſima* TEMPORIS, TEMPORUM, & DIMIDII TEMPORIS: cùm idem quod hîc apud Joannem dicitur futurum, *cùm tempus non erit ampliùs*; id apud Danielem tum futurum oſtendatur, cùm periodus iſta noviſſimorum temporum abſolvetur. Ad Cap. 10

Atq; hæc quidem *conſummatio* MYSTERII *Dei* Septimæ Tubæ τὸ σῆγμα eſt: cui comites adduntur *Septem Tonitrua*. non enim ſunt σῆγμα ipſum quod exhibet Tuba, ſed contemporaneum ejus. Scilicet, dum Angelus præconium ſuum de Tubæ Myſterio exequitur, *Septem tonitrua* voces ſuas edunt. *Clamavit*, inquit, *voce magnâ, ſicut Leo rugit; & cùm clamâſſet, loquuta ſunt ſeptem tonitrua voces ſuas*: id eſt, cùm ille præconium ſuum jam exorſus eſſet, *Septem* quoque *tonitrua* cœperunt loqui. Neque non Tubæ ſeptimæ contemporare poſſunt; cùm quod ſextam Tubam ſequitur, neceſſariò in ſeptimam incidat. Vox autem tonitrui quid? num בת קול BATH-KOL? Si hoc; erunt 7 *Tonitrua* ORACULA totidem, quibus ſeptimæ Tubæ intervallum, quaſi periodis quibuſ-

Ad CAP. 10

dam diſtinguetur; ſed ignorandæ omnino rei, nec niſi ſuis temporibus percipiendæ. Quod innuit Joanni voces tonitruum ſcripturo, cœlitus facta prohibitio. *Obſigna quæ locuta ſunt ſeptem tonitrua, & nè ea ſcribas.* Fruſtrà igitur nos inquirendo erimus, quę Deus occulta eſse voluit, & ſuis temporibus reſervanda.

Atq; ità Tubæ ſeptimæ ſuo loco & ordine commodè ſatis inſervitum fuit, licèt clangoris ipſius patefactione, quâ totum myſterium plenè reſeratur, aliò rejectâ. Cujus Rejectionis conſilium, cum toto diſpoſitionis hujuſce artificio, tametſi de eo in CLAVE APOCALYPTICA monitum, tamen hîc denuo & paulò fuſiùs, reponere, nec ſupervacaneum nec infructuoſum fuerit; quum pleroſque Interpretum de eodem ratio fugiat. Facem mihi primùm hîc alluxit, atq; etiam tibi, Lector, ni fallor, allucebit, Syſtematis Viſionum Apocalypticarum, per Synchroniſmorum characteres conſtructi, diligens contemplatio. Res verò (ut eam, quâ poſſim, orationis, tum perſpicuitate tum compendio, recludam) ſic ſe habet.

Utraque Prophetia, tam SIGILLORUM, quàm ΒΙΒΛΑΡΙΔΙΟΥ, uno eodémque rerum exitu clauditur; eo nimirum quem exhibet Tuba ſeptima. Cui indicando, Spiritus Sanct. Tubæ ſeptimæ myſterio ſuo loco in Tubarum ſerie, leviter & quantum ibi ſatis erat, præſignato, clangoris ipſius pleniorem patefactionem diſtulit; donec, ad novam ΒΙΒΛΑΡΙΔΙΟΥ prophetiam tranſitione factâ, (cap. 10. à verſ. 8. ad finem) primam ejus Viſionem, ſtadio Apocalyptico ſimiliter emenſo, ad eundem rerum

rum exitum provexiſſet (cap. 11.14.) túncq; MYSTERIUM illud Tubæ ſeptimæ, utriuſq; Prophetiæ Cataſtrophe communis, & in priori Prophetia (quæ Sigillorum erat) de genere tantùm promulgatum, hîc clangore demum edito, plenè evolvitur: atque id quidem ordine commodiſſimo; cùm alioquin, abſq; utriuſq; Prophetiæ præcognitione, quod ab utraq; pendebat, intelligi non potuiſſet. Ad Cap. 10

Atque hinc factum eſt, ut Tranſlationis iſtius negotium, non ab aliquo Tubarum Angelo procuratum ſit, ſed ab Angelo illo magno & illuſtri, qui βιβλαρίδιον ſecundæ Prophetiæ ſymbolum, manu teneret, Joanni mox devorandum. Ejus nempe intererat, qui ſecundam Prophetiam revelaret, ut iſtius clangoris patefactio, qui utriuſque Prophetię Cataſtrophen contineret, eouſque differretur. Imò ſi Angelus iſte, ut ex auguſtiori amictu totóq; apparatu colligi poſſe videtur, Chriſtus Dominus ſit; nulli magis jus hoc clangorem noviſſimum in alterius Prophetiæ gratiam ſuſpendendi competet, quàm ipſi, qui utriuſque Prophetiæ author erat. Hactenus quidem Agni formâ apparuerat; nunc verò Angeli perſonam induiſſe videtur: quippe idem Conſummationis myſterium Joanni revelaturus, quod olim Danieli, eâdem Angeli ſpecie, eodémq; jurisjurandi ritu & verbis, revelaverat. Videſis Danielem cap. 12. verſ. 6, 7. cum ver. 5. capitis decimi.



τοῦ

BIBΛΑΡΙΔΙΟΥ

SEU

SYSTEMATIS ALTERIUS

VISIONUM APOCALYPTICARUM INTERPRETATIO,

ad amussim Clavis Apocalypticæ.

PERACTO Sigillorum curriculo, quo *Res Imperii* describebantur, ad alteram Prophetiam itur, multò nobilissimam; utpote Ecclesiæ *seu Religionis fata* continentem. Ad eam instituitur Joannes traditione & comestione Libri aperti, quasi Doctoratu facultatis propheticæ imbuendus.

Et vox, inquit, *quam audieram de cælo, rursum loquuta est mecum* (vox nimirum illa tanquam Tubæ loquentis, cap. 4.) *& dixit, Abi & accipe libellum illum apertum in manu Angeli stantis super mare & super terram.*

Abii igitur ad Angelum, dicens ei, Da mihi libellum. Et dixit mihi, Accipe & devora eum, &c.

Ad Cap. 10

Porrò cùm Prophetia modò revelanda, ut ſolet omnis rerum divinarum & arcanarum, præſertim futurarum, cognitio, perceptu quidem ſuavis & jucunda foret; ſed propter calamitoſum Eccleſiæ ſtatum, tanquam aloën, in abdito ejus contentum, aut ipſarum fortè allegoriarum typorúmque quibus tegitur, obſcuritatem, enucleantis & in ſenſa ejus penetrantis animum haud mediocriter lancinaret: ideo Liber comedendus, dicitur Apoſtolo futurus, in ore quidem dulcis, id eſt, primâ facie primóque guſtu mentem ejus oblectaturus; in ventre verò receptus & concoquendus amaritudinem allaturus. *Et amaritudinem*, inquit, *adferet ventri tuo, ſed in ore tuo erit dulcis tanquam mel.* Tota autem imago ex Ezechiele petita eſt; niſi quòd ibi dulcedinis quidem in ore, at amaritudinis in ventre aut nulla aut obſcura mentio.

Libro ſic accepto & deglutito, mens ſymboli clariſſimis & diſertiſſimis verbis aperitur; nempe Joanni alterius adhuc, & nobilioris multò Prophetiæ, quæque prioris tramitem relegeret, à Chriſto accipiendæ, inq; Eccleſiæ notitiam deferendæ munus impoſitum eſſe.

Et accepi, inquit, *libellum è manu Angeli, & devoravi eum: erátque in ore meo dulcis tanquam Mel; ſed quum devorâſſem eum, amaruit venter meus. Tum dixit, Oportet te iterum prophetare* (hæc mens ſymboli) *coram populis, & gentibus, & linguis & regibus multis.*

Sic fuit Joannis inauguratio; ſequitur Prophetia, quę ab ejuſdem circa Templum Dei facto inchoat; eóque, duplicis Atrii imagine, unius dimenſi, alterius

us ob gentium prophanationem rejecti, duplicem Eccleſiæ ſtatum ordine futurum commonſtrat. Ad Cap. II.

MENS
ATRII INTERIORIS
calamo Dei dimenſi.

ATRIUM TEMPLI *interius cum inibi adorantibus, calamo divino menſurabile*, Statum Eccleſiæ Chriſtianæ primævum denotat, *ad verbi divini regulam examinatum & examuſſim ſanctum:* necdum verò ut poſtea (cùm ad Exterioris Atrii tempora perventum) cultûs idololatrici contagione ἀσύμμετρον, quinimo Deum, per aliquot ſecula, in unico Mediatore Jeſu Chriſto *normaliter* colentem. Verſ. 1.

Hujuſmodi enim commenſum, etiam Angelicæ dimenſionis apud Ezechielem typo propoſitum fuiſſe, ex eo colligere mihi videor, quod eidem dicitur cap. 43. indè à verſ. 7. ad 10. & deinceps: *Tu autem fili hominis, oſtende domui Iſrael Templum, & erubeſcant propter iniquitates ſuas & metiantur exemplar.* Videſis locum. Sin quis aliter ſenſerit, & maluerit *dimenſionis* typum ad *ædificationis* ſignificationem referre, ut quod Architectis Graphis ſeu γραμμὰ, futuri nempe operis deſignatio, id ſit Deo apud Prophetas *menſuratio*; ad eundem tamen ſenſum collineabit. Nam quid tum denotabit Atrium hoc *divino calamo dimenſum*, quàm Eccleſiæ ſtatum eo figuratum, *facturam Dei eſſe*, ædificatam ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, Chriſto

Ad CAP. II

angulari lapide; contra quàm Atrium ſequens, quod Deus pro ſtructura ſua non agnoſceret, ideóque Joannes ipſum metiri prohibetur. Hoc aut illo modo interpreteris, res, ut vides, eodèm redibit. Sed qui in diverſum ſenſum interpretabitur, aut fallor, aut nullum è Scriptura interpretationis ſuæ exemplum proferre poteſt. Quàm verò appoſitè *Altaris* in hoc Atrio ſitus, frequentes ſub eo Eccleſiæ ſtatu *Martyriorum* hoſtias adumbret, id tum ex re ipſa, tum ex contemporanea DRACONIS *rufi*, cum MICHAELE de *Mulieris puerperio* pugnantis, Viſione, tunc cùm ad ejus interpretationem ventum, patebit.

MENS ATRII EXTERIORIS CUM Civitate S. à Gentibus conculcati, proindéq; in dimenſione negligendi foràſque ejiciendi.

ATRIUM *exterius à gentibus conculcatum* & dimenſioni divinę rejiculum, deſignat *Civitatem Dei ſanctam* ſeu Eccleſiam Chriſtianam, mox ab exitu temporum ATRII *normalis* (cui proximè ſuccedit) *novis Idololatris dandam*, rebúſque ejus, demolito jam penitus ſub prioris Atrii ſtatu, Gentilium cultu, confirmatis, redintegratæ Idololatriæ, tanquam redivivi *Ethniciſmi*, contagione prophanandam; uno verbo *Apoſtaſiam Antichriſtianam menſibus xlii* annalibus in Eccleſia regnaturam. De qua in BESTIÆ hiſtoria, ATRIO huic contemporante, congene-

generiſque rei Viſione, plenè & particulatim agetur. Sed verba textûs, in cujus interpretatione verſamur, conſideremus. Ad Cap. II.

Datus eſt, inquit, *mihi calamus ſimilis virgæ, adſtititque Angelus dicens, Surge & metire Templum Dei & Altare & adorantes in eo. Sed Atrium quod eſt extra Templum, ejice foras & nè metiaris illud. Nam datum eſt gentibus, & Civitatem ſanctam calcabunt menſibus* XLII. Verſ. 1.

Quorum verborum mentem, ut dextrè percipiamus, ſciendum, ΤΟ ΙΕΡΟΝ (quo nomine univerſum Templi ædificium complector) duplici Atrio diſtinctum fuiſſe; uno Interiori, in quo Ναῷ ſeu Templum ipſum (unà cum Altari holocauſti pro foribus ejus) ſitum fuit, patebátque ſolis ſacerdotibus & Levitis: Altero Exteriori, quod 2. Paralip. 4. 9. *Atrium magnum* dicitur; Ezechieli pluſquam duodecies חֲצַר הַחִיצוֹנָה id eſt, Αὐλὴ ἡ ἔξωθεν ſeu ἐξωτέρα. Hoc Iſraelitarum erat ſeu populi Iſraelitici, ideóq; Iſraelis Atrium haud incommodè dicendum, licèt Judæis ſpeciatim ſic vocabatur, ea hujus Atrii pars quæ virorum erat. Prius Atrium nominibus *Templi* & θυσιαστηρίου indicatur. *Surge*, inquit, *& metire Templum Dei* (Ναὸν) *& Thyſiaſterium*. Ubi θυσιαστήριον, non Altare tantùm holocauſti, quod ibi ſitum, ſed ſpatium etiam circumjectum, id eſt, totum Altaris & ſacrificii locum deſignat; ut ex verbis ei proximè cohærentibus colligitur, Καὶ προσκυνοῦντας ἐν αὐτῷ, id eſt, ἐν τῷ θυσιαστηρίῳ. Quomodo etiam θυσιαστήριον ſumitur cap. 14 v. 18. & cap. 16. 7. Vide Bezam. Unde Lexicon vetus Græcolat. θυσιαστήριον interpretatur *Altarium*, *Sacrarium*: & vice versâ Gloſſarium

Ad CAP. II. Philoxeni, *Sacrarium ἱερῶν, θυσιαστήριον.* Hoc autem θυσιαστήριον, unà cum Templi, id est, τῦ Ναῦ, Area, nomine Interioris Atrii rectè comprehendi, ex Tabernaculi descriptione disco; ubi similiter totum illud Septum, quod הַמִּשְׁכָּן *Habitaculum*, ac *Altare Holocausti* ambiebat, unius Atrii nomine censetur: ut liquet Exod. 40. 33. Tantum de Atrio priore, quod Joannes metiri jubetur. Atrium autem posterius satis clarè nomine suo designatur: Αὐλὴ ἡ ἔξωθεν τῦ Ναῦ, id est, per Ellipsin prioris Substantivi, Αὐλὴ ἡ ἔξωθεν τῆς Αὐλῆς ἡ περιβόλε τῦ Ναῦ, Atrium quod est extra Templi & altaris septum. In hoc cùm Gentes, præter jus & fas admissæ, stabularentur, nequaquam mensurari, sed ejici jubetur & pro prophano haberi.

Sed inquies, non *Atrium exterius*, sed *Civitatem sanctam* à Gentibus conculcatam dici. Respondeo, *Atrium exterius* & *Civitatem sanctam* sese mutuò explicare, cùm Atrium exterius locus fuerit Civitati sanctæ, seu populo Israelis, ad divina conveniendi; imò in Deserto, unicum tantùm Atrium habente Tabernaculo (quod non nisi Sacerdotibus ac Levitis ordinariè ingredi fas erat) Atrium exterius nullum fuit, præter Castra Israelis seu Civitatem sanctam. Perinde igitur sensus est, ac si diceretur, *Atrium quod extra Templum est ejice foras, & nè metiaris illud: nam datum est Gentibus, & calcabunt (illud) mensibus* xlii. Pro Relativo autem (*illud*) substituitur Substantivum, & quidem ejusmodi quod rem Antecedenti designatam declaret; *Civitatem*, inquit, *sanctam calcabunt mensibus* xlii. Enallage autem Substantivi pro Relativo sæpe, tum in hoc Libro, tum alibi occurrit; nempe cùm, aut Substantivum quod præcessit,

ceſſit, loco Relativi repetitur, aut ejus ſynonymum Relativi vice ſubſtituitur. Poſterioris modi exemplum hîc habes, & Act. 25. 21. Et ſanè quid aliud eſſe dicemus *Gentibus dari*, hoc eſt, occupandi poteſtatem fieri, quàm *calcari?* & quid tandem calcarent Gentes, niſi id quod eis datum fuerat? ut hæ quoque voces, non minùs quàm *Atrii* & *Civitatis ſanctæ*, ſeſe mutuò explicare videantur. Ad Cap. II.

¶ Ichnographia τοῦ ἱεροῦ, id eſt, Templi & Atriorum ejus.



ΑΑΑΑ *Atrium interius.*
ΒΒΒΒ ΒΒΒ *Atrium exterius.*
α β ὁ ΝΑΟΣ *ſive Templi.*
α *Sanctum Sanctorum.*
β *Sanctum.*
γ. δ. *Altare holocauſti.*
Α γ. Α δ. *Thyſiaſterium.*

Duobus hiſce Atriis (quorum, & non plurium Scriptura meminit) poſterioribus ſeculis, in Templo nimirum

Ad CAP. 11

nimirum Herodiano, alio adhuc muro in Templi ambitu extructo, tertium additum fuit, quod *Gentium & immundarum* dicebatur; sed pro sacro non habitum. quinimo in columnis ibi positis, tum Græcis, tum Latinis literis inscriptum fuit, Μὴ δεῖν ἀλλόφυλον ἐντὸς τοῦ ἁγίου παρίεναι· *In Atrium sanctum transire alienigenam non debere.* Josephus de bello Judaic. l. 6. cap. 6. Græc. id.

MYSTERIUM DUORUM TESTIUM *in sacco prophetantium.*

GEntibus in Atrio populi Dei seu Civitate sancta stabulantibus, TESTES *seu* PROPHETÆ *à Deo bini* prædicant *pullati & amicti saccis.* Hi sunt veritatis divinę Interpretes & Assertores, qui fœdā illam & lacrymabilem Ecclesiæ Christi contaminationem, assiduis querelis deflerent; quósque Deus indesinenter Orbi Christiano, cum Gentibus scortanti, monitores, Sanctísque suis fidem servantibus duces excitaturus esset. Nempe ad instar Parium illorum illustrium sub Veteri Testamento; MOSIS & AARONIS in Eremo, ELIÆ & ELISÆI sub Apostasia Baalitica, ZOROBABELIS & JESUÆ sub servitute Babylonica. Ex illorum puta numero, conditione, potestate, réq; gesta, *Testes* isti Apocalyptici manifestè describuntur; quemadmodum & Ecclesiæ status in quo prophetârunt, Israelitico congruenter, Babylonis, Eremi & Gentilismi seu Baalismi imagini-

imaginibus figuretur. Quod de *Teſtium* deſcriptione dixi, id in ſequenti tabella, Lector, oculis tuis uſurpato. Ad Cap. II

Moſes & Aaron.	*Elias & Eliſæus.*	*Zorobabel & Jeſua.*
Ἐξουσίαν ἔχοντες τῶν ὑδάτων, στρέφειν αὐτὰ εἰς αἷμα, καὶ παταξαι τὴν γὴν πάσῃ πληγῇ. v. 6	Ἐξουσίαν ἔχοντες, κλεῖσαι τὸν οὐρανὸν, ἵνα μὴ βρέχῃ. vers. 6.	Οὗτοί εἰσιν αἱ δύο Ἐλαῖαι καὶ δύο Λυχνίαι, αἱ ἐνώπιον τοῦ Κυρίου τῆς γῆς ἑστῶσαι. vers. 4.
Ὅς ἐὰν θέλῃ ἀδικῆσαι, πῦρ ἐκπορεύεται ἐκ τοῦ στόματος αὐτῶν, καὶ κατεσθίει τοὺς ἐχθροὺς αὐτῶν. vers. 5.		
De *Moſe* & *Aarone* videſis Num. 16.	De *Elia* 2. Reg. c. 1.	

Jam ad textum accedamus. *Et dabo*, inquit, *duobus Teſtibus meis, ut prophetent diebus MCCLX amicti ſaccis.* Ubi illud primò notandum venit, totam quæ ſequitur prophetiam, ab hoc commate ad clangorem Tubæ ſeptimæ, rei naturâ ſic poſtulante, non viſo exhibitam, ſed ab Angelo, Chriſti perſonam ſuſtinente, Joanni dictatam fuiſſe; id quod obſervàſſe, ad genium allegoriæ ſeu typi rectiùs percipiendum, haud parùm facit. Vers. 3.

Duobus Teſtibus meis. Duos dicit propter typum, qui, ut dixi, binorum eſt; acſi dixiſſet, Dabo Zorobabeli & Jeſuæ meis, Eliæ & Eliſæo meis, Moſi & Aaroni meis. Cui accedit quòd Teſtes eos vocat,

Ad Cap. 11. Teſtes autem ex lege duos eſſe oportuit ad ſtabiliendum omne verbum. Adde, quòd Duo dici poſſint, pro numero Tabularum Dei, quas in prophetia ſua adhiberent, Veteris & Novi Teſtamenti, quaſi duorum Teſtamentorum Teſtes.

Ut prophetent amicti ſaccis] Nempe lugubriter plangendo conculcationem Civitatis ſanctæ ex gentilium cultu introducto, Dei veritati teſtimonium perhibendo, & cohortando ad reſipiſcentiam.

Diebus 1260] Quot nempe in menſibus 42 continentur. Quos non eſſe dies horarios liquet, tum ex tribus illis diebus & dimidio, horum dierum partibus, paulò pòſt Teſtium morti aſſignandis; quos pro diebus horariis accipi non poſſe, arguunt quæ tunc gerenda prædicuntur: tum ex eo quod Beſtia (cujus itē duratio ſint) Cœtui 144 M. Signatorum; Cœtus autem Signatorum ſex primis Tubis contemporet; Tubarum verò res tantillo tempore, quantum eſt dierum 1260 horariorum, ſeu triennii & ſemeſtris, decurri non poſſint. Sed cur, inquies, Gentium profanatio *Menſibus*, Teſtium autem purum Dei cultum aſſerentium prophetia *Diebus* menſuretur? Nempe, quia cultus Idolorum omnéque peccatum & error poteſtatis *tenebrarum & noctis* ſit, quibus Luna præſidet; contrà Religio vera *Luci & Diei* comparetur, quarum penes *Solem* præfectura eſt. Ideo Act. 26. 18. Pauli miſſio ad Gentes ab idolis convertendas, dicitur, *ad convertendum eas à Tenebris ad Lucem, à poteſtate Satanæ ad Deum.* Quâ mente eſt & illud: *Quæ ſocietas luci cum tenebris?* Jam verò *Menſes* LUNÆ, *tenebrarum* dominæ; *Dies* & *Anni* SOLIS, qui *luci* præſidet, motu diriguntur. Eadē de cauſa, ut poſtea

poſtea videbimus, Beſtiæ blaſphemia, ſimiliter ad motum Lunæ, *menſibus: Mulieris* verò *in Eremo* manſio, *annis & diebus*, ad motum Solis *numerabitur.* Ad Cap. 11.

Hi ſunt duæ illæ oleæ & duo candelabra, coram Domino terræ conſiſtentes. Vers. 4.

Id eſt, ſunt inſtar Zorobabelis & Jesuæ, quos olim Dominus unxerat, ad Eccleſiam Judaicã, ſub captivitate Babylonica perditam, denuo inſtaurandam, atque *Teſtibus* hiſce conſimiliter, ſub gentium ſervitute procurandam. Alluſum enim eſt ad *duas iſtas oleas*, quas Zacharias viderat, utrínq; Candelabri aurei creſcentes, oleúmq; Lucernis ejus ſuppeditantes, Zach. 4. de quibus Angelus rogatus, quid ſibi vellent; *Hi ſunt*, inquit, *duo filii olei ſtantes coram Domino totius terræ*; indigitans duo Eccleſiæ, ſub gentibus tum ſervientis, capita Zorobabelem *ducem*, & Jesuam *Pontificem*, de quibus paulò antè prophetaverat.

Candelabrum enim ibi ſeptem lucernarum, *Templum* deſignabat, ejúſque typo illius temporis *Eccleſiam:* cujus inſtaurationem conſervationémque duo *Uncti iſti* procuraturi eſſent, non copiis, non robore, ullóve adminiculo humano, ſed virtute ſolius Dei, modo quodam inviſibili & mirabili operantis. quemadmodum oleæ iſtæ Candelabro utrinque aſſiſtentes, oleum luminibus ejus ſufficiebant, viâ planè extraordinariâ nec perceptibili.

At quorſum, inquies, hîc apud Joannem, non unius, ut apud Zachariam, ſed duorum Candelabrorum mentio, quibus itidem, & non Oleis duntaxat, duo iſti Prophetæ aſſimilari videntur? Fateor me hîc hæ-

Ad Cap. II

rere, necdum ſatis expeditam & liquidam hujus diſcriminis rationem inveniſſe. Interim in verbis puto Hebraiſmum latere, eſséq; acſi dixiſset, *Hi ſunt duæ illæ oleæ, ad vel juxta duo candelabra, coram Domino terræ conſiſtentes:* ità ut Teſtium ſolummodo cum Oleis comparatio fiat, Candelabrorũ verò adjectio, non niſi ad Olearum deſcriptionem pertinere judicetur. Nam copulativa Hebræis quandoq; vice ב præpoſitionis eſt, id eſt, pro *cum, juxta, apud*, ut 1. Sam. 14.18. *Quia erat arca Dei in die illo & filii Iſrael*, id eſt, *cum filiis Iſrael*. Vide Lexicon Schindleri. Sed manebit nihilominus difficultas de duobus Candelabris. An igitur dicendum, unicum illud apud Zachariam Candelabrum hîc pro duplici cenſeri, propter nempe geminum ab utraq; parte ſcapi lucernarum ordinem, & duas oleas utriſque ſeorſim oleum infundentes? Eſt quoque apud Zachariam *ſeptem & ſeptem*, .i. *bis ſeptem infuſoriorum* mentio; ſed quorſum ſpectet, non ſatis liquet. An verò binarium iſtum putemus, ad Eccleſiæ Chriſtianæ conditionem deſignandam privatim pertinere? nempe, aut quaſi ex duobus populis Judæis & Gentibus congeminantis? aut, quod vero forſan propius, quia tempore, quo Teſtes pullati ingemiſcerent, unà cum Imperio Romano, in Orientis & Occidentis dividendę? Ut ut ſit, certum eſt, Candelabra, non Prophetas aut Antiſtites Eccleſiarum, ſed Eccleſias ipſas denotare, ex eo quòd ſuprà cap. 1. Angelus *ſeptem candelabra* totidem Eccleſias interpretetur: *Septem*, inquit, *candelabra quæ vidiſti, ſeptem Eccleſiæ ſunt.*

Verſ. 5.

Quos ſi quis voluerit lædere, ignis prodit ex ore ipſorum & devorat inimicos eorum. Et ſi quis voluerit eos lædere, ità oportet eum occidi. Non

Ad Cap. II.

Non manu, non ferro aut pugionibus ſeſe ulciſcuntur *Teſtes*, ſi quando ab hoſtibus læſi fuerint; ſed *ex ore ipſorum* prodit vindicta, id eſt, oralibus telis inimicos configunt; dum nempe iram Dei, miniſtrorum ejus violatoribus impendentem denunciant, aut precibus & gemitibus ſuis ultionem impetrant. *Ignis* enim hic, qui ex *ore Teſtium* egredi perhibetur, *Ultionis* verbum eſt; juxta illud Domini ad Jeremiam cap. 5. 14. *Ecce ego do verba mea in ore tuo in* IGNEM, *& populum iſtum in ligna, & vorabit eos.* Moſes quidem & Aaron & poſtmodum Elias; illi in ſeditionis Korachicæ conjuratos, hic verò in Ahaziæ Regis Baalicolę miniſtros, ignem propriè dictum cœlo devocârunt: at noſtrorum Teſtium *ignis* myſticè interpretandus eſt, cùm, monente mox Spir. S. Ægyptus noſtra, proindéque Eremus, πνευματικῶς accipiantur. Porrò quod Prophetæ in nomine Dei denuntiant, idem & ipſi patrare dicuntur, ut oſtendit quod ad eundem Jeremiam ait Dominus, c. 1. 10. *Præfeci te*, inquit, *gentibus & regnis, ad exſtirpandum & demoliendum, & ad perdendum & deſtruendum, ad ædificandum & plantandum*; nè quis jam miretur, quòd *ex ore Teſtium prodire* dicatur *ignis* ſeu vindicta divina, penes quos tamen ſola denunciandi aut à Deo impetrandi poteſtas ſit.

Ità propriam injuriam ulciſcuntur *Teſtes:* Sequitur, quâ ratione etiam contumeliam Templo Dei illatam. Videlicet

Poteſtatem habent claudendi cœlum, nè pluat (pluviâ nempe myſticâ) *in diebus prophetiæ ipſorum.* Verſ. 6.

Hoc eſt, clavium poteſtate inſtructi ſunt, quâ novis iſtis Gentilibus, cultûs Chriſtiani contamina-

Ad CAP. II. natoribus cœlum claudant, nè ſanguinis Chriſti gratia per Baptiſmū obſignata, tamdiu ſuper eos ſtillet ad remiſſionem peccatorum, quamdiu idololatriis & ſuperſtitionibus ſuis, pullatæ *Teſtium prophetiæ* cauſa eſſe perſeveraverint. Dicam planiùs. Spe vitæ æternæ, ſolis puris Dei cultoribus promiſſæ, novos iſtos idololatras ex verbo Dei arcent; donec, ſtipulationis in Baptiſmo memores, ad unius Dei cultum per unicum Mediatorem Jeſum Chriſtum, abjectis Satanæ cultibus, redierint, ſícque finem lugubri *Teſtium prophetiæ* impoſuerint. Quemadmodum & Elias non priùs Iſraelitis, ſiccitate jam propè enectis, pluviam reddiderit, quàm Baalis prophetæ, ejúſque cultus exterminarentur.

Hujuſce autem poteſtatis *Teſtium* exemplum habemus infrà cap. 14. 9. *Si quis*, inquiunt, *adoraverit Beſtiam & imaginem ejus & acceperit characterem in fronte ſua, aut manu ſua; bibet hic ex vino iræ Dei, ex mero miſto in calice iræ ipſius, & cruciabitur igne & ſulphure, in conſpectu Angelorum ſanctorum & in conſpectu Agni, & fumus tormenti ipſorum aſcendet in ſecula ſeculorum, &c.*

Denique *poteſtatem habent ſuper aquas convertendi eas in ſanguinem, & percutiendi terram omni plagâ, quotieſcunque voluerint.*

Cujuſmodi nempe poteſtatem exercuerint Moſes & Aaron, Iſraelem ex Ægyptiaca ſervitute educturi. Unde colligo, poteſtatem *Teſtium*, typo iſtoc figuratam, non ad omnes prophetiæ pullatæ dies, ſed ad finem eorum pertinere, ſeu tempus *Phialarum*; quando nimirum *Teſtium* ſeu *Prophetarum* iſtorum auſpiciis, quaſi Moſis & Aaronis, populus Chri-

Christianus, plagis Ægyptiacarum imagine expressis, similiter de Bestiæ tyrannide atq; servitute educendus est. Siquidem prima Phialarum plaga terram ulcere percutit; secundâ & tertiâ aquæ in sanguinem vertuntur; cæteræ aliis adhuc gravioribus, Bestianos seu gentes in Atrio Templi stabulantes, plagis conficiunt. Quarum omnium interpretationem suo loco servamus. Sufficiat hîc, novissimam hanc potestatem ad Phialarum effusionem retulisse. Sequitur Ad Cap. II.

Sed cùm finituri sunt testimonium suum, Bestia quæ ascendit ex Abyssо faciet adversus eos bellum, & vincet eos & occidet eos. Vers. 7.

De munere & potestate *Testium* hactenus; sequitur jam de fato, quod ad finem prophetiæ suæ experirentur. Cujus descriptio ex historia passionis Dominicę tota conflata est. Dominus enim Jesus consimiliter, cùm prædicationem suam, totidem circiter, quot *Testium* prophetia, dierum, finiret; à præside Romano Bestiæ hujus, qua cum *Testibus* bellum est (sed sexti capitis sui vice) legato occisus est. Tertio pòst die, facto itẽ terrę motu magno, resurrexit. Paulóq; pòst, die nempe quadragesimo, in cœlum nube receptus ascendit. Quæ omnia in hac *Testium* seu *Prophetarum* ipsius clade voluit Deus repræsentari; ut sicuti in muneris sui statu Parium istorum illustrium (de quibus antè) similitudinem gesserant: ità in perpessione & morte Christo Domino suo, Testi illi fideli, conformes efficerentur; quod quidem ipsis in mediis ærumnis suis, & solatio esse debet, & gloriæ.

Sed textui lucem faciamus. *Cùm finituri sint*, inquit,

Ad CAP. 11

quit, *teſtimonium ſuum* (ſic enim ὅταν τελέσωσι vertendum, non de præterito, *cùm finierint*) *Beſtia quæ aſcendit ex abyſſo faciet cum iis bellum, & vincet eos & occidet eos.* Id eſt, cùm jam, parte *Civitatis Sanctæ* ſeu Orbis Chriſtiani incolarum, de idololatriis & abominationibus ſuis, agnitâ Gentiliſmi fœditate, reſipiſcente, & Templum Dei apud ſeſe repurgante; *Teſtes* gratulabundi ſaccum exuere & diuturno planctu ſuo defungi inciperent, nondum tamen penitus defuncti eſſent: BESTIA *illa Romana ſepticeps* vicis noviſſimæ (de qua cap. 13.) uſque eò pullatorum iſtorum concionem valuiſſe, indignata, faciet eis bellum, vincet & occidet eos. Quorum primum, de *Teſtium* planctu finiri cœpto, ab initio Eccleſiæ reformatæ hucuſque continuè factitatum eſt.

Alterum de bello & cæde, etiamnum futurum eſſe ſuſpicor. Brightmannus quidem noſter illud jamdudum, in Bello nimirum Smalcaldico, ſub Carolo V Cæſare, impletum cenſuit. Alii modernæ Eccleſiarum Germanicarum ſtragi accommodant. Et quis tam triſtem Eccleſiæ Caſum non multò magis præteriiſſe mallet, quàm adhuc metuendum ſupereſſe? Sed non eſt ex voto noſtro interpretatio dirigenda. imò majori cum periculo in partē iſtam, quàm è contrà errabitur. Plus ſiquidem ad pietatem valet calamitatis futuræ expectatio, quàm credula animis de ea, quaſi jam tranſacta, ſecuritas. Adhuc autem metuendam eſſe cladem iſtam noviſſimam, duo mihi perſuadent. Primum, quòd luctuoſa illa Gentium, Civitatem Sanctam, ſeu Religionem Chriſtianam conculcantium, tempora, ſive MENSES XLII, tantiſper dum Beſtia regnaverit, periodum ſuam

am compleviſse dici non poſſint; proindéque neque contemporanei ac coævi iiſdem, *Teſtium* in ſacco & cilicio plangentium Dies. Alterum, quòd hæc *Teſtium* clades proximè anteceſsura ſit (ut paulò pòſt audiemus) cladem & ruinam Urbis magnæ, id eſt, Romæ: quam tam propè abeſse, non patitur Phialarum ſeries; utpote quarum quartam (quamvis in præſenti rerum motu id agi ſperandum) nondum prætervecti ſimus, ut ibi docebitur. Atqui Urbis ruinam ad quintam ſpectare, mox oſtendemus. cujus idcirco prodromam fore cladem iſtam de qua agimus, admodum vero conſentaneum eſt; præſertim, quum Chriſto Imperatori noſtro ſolenne ſit, non niſi crucis methodo, hoſtes debellare & victoriam ſuis largiri. Neque tamen, ex eo quòd clades hæc noviſſima ſit, atque etiamnum futura, quicquam de gravitate ejus, ſupra omnes quæ præceſſerunt, certò ſtatui poteſt. Fortè enim, non tam gravitatis nomine (certè non diuturnitatis) quàm quod in ſignum eſſet, protinus tum finiendi luctûs Teſtium, atq; inſtantis ruinę Romanę Urbis; ideo ſola ex omnibus, quibus Beſtia Sanctos contritura eſſet, cladibus, ſingularem mentionem & deſcriptionem meruit: perinde nempe ut circundatio Hieroſolymorum ab exercitu Ceſtii Galli, paulò ante fatalem per Titum obſidionem, in excidii ejuſdē, tunc inſtantis & pro foribus, ſignum, prædicta fuerit. Ut quemadmodum Apoſtolis, de temporis illius excidii ſignis quærentibus, dixerit Servator: *Cùm videritis circundari ab exercitu Jeruſalem; tunc ſcitote quòd appropinquavit deſolatio ejus*: ſimile hîc innui putetur de excidio Babylonis; Cùm videritis triennalem iſtam & dimidii anni Teſtium

Ad Cap. 11

Luc. 21. 20.

Ad Cap. II. ſtium cædem; ſcitote quòd appropinquavit deſolatio Urbis magnæ.

Cædem autem quâ *Teſtes* à BESTIA ſternendi prædicuntur, intelligi puto ſignificatione generaliſſimâ, quâ necem etiam comprehendat metaphoricè, ſeu analogicè dictam. *Mori* enim eâ notione dicitur, qui in quocunque ſtatu conſtitutus, ſive Politico ſive Eccleſiaſtico, ſeu quovis alio, deſinit eſſe quod fuit; unde & occidit qui tali morte quenquam afficit. Siquidem in ſtylo ſacro, *Vivere* ſubindè eſt *eſſe, mori non eſſe*. Quâ mente Satanæ & peccato mori dicimur, cùm eorum mancipia in poſterum eſſe deſinimus; & Chriſto vivere, cùm ejus eſſe incipimus. Et omnino poſcere videtur oppoſitionis ratio, ut cujuſmodi futura ſit poſt patratam cædem reſurrectio *Teſtium* ad vitam, talis foret & ipſa cædes: Illam verò analogicam eſſe patet, quia nulla Reſurrectio propriè dicta futura ſit ante Chriſti adventum ſub Tuba VII. Hæc verò fit, currente adhuc ſextâ.

Teſtium igitur in bello occubitus, ſi ad iſtiuſmodi intelligendi normam exponamus, videbitur eſſe illorum ab officio & ſtatione, quam in Eccleſia, vi prædicationis ſuæ reformatâ, aliquantiſper conſecuti ſint, deturbatio & dejectio; ſive ea cum morte corporali conjuncta ſit, ſive ſecùs: adeò ut vitam, qualem tum vixerant, propheticam deinceps non vivant, muniáve ejus exerceant ampliùs. Quo ſimul neceſſe eſt futurum, ut, columnis ſuis ſubductis, Beſtiæque pſeudoprophetis in locum Prophetarum Chriſti poſtliminio ſubſtitutis, tota Eccleſiæ Reformatæ politia, quàm latè hoc acciderit, in terram concidat.

cidat. Quod citiúſne an ſeriùs futurum ſit, ſolus ille novit, in cujus manu ſunt *tempora & opportunitates.* Ad Cap. 11.

Interim, nè fortè quis decipiatur, illud accuratè animadvertendum; Bellum hoc BESTIÆ noviſſimum, non eſſe ejuſdem generis cum eo, quod adverſus Sanctorum cœtum hucuſq; continuè geſſerat (de quo nempe in BESTIÆ hiſtoria dicatur cap. XIII. *quòd datum ſit ei bellum gerere cum ſanctis & eos vincere*;) ſed omnino diverſi. Quorſum enim illud, tanquam ultimis Beſtiæ temporibus peculiare, narraretur, quod ſi non ab incunabulis ſuis, ſaltem jam indè ab ἀκμῆ ſua ei ſolenne fuerat? Aliud igitur eſt bellum, quod Beſtia geſſit contra ſanctos univerſè; aliud quod in noviſſimo ſuo gerit cum Prophetis, qui jam cilicio exui, planctúmque ſuum propheticum finire cœpiſſent; id eſt, Antiſtitibus Eccleſiæ parte ſuâ reformatæ. Id quod ampliùs, ex diverſo utriuſque belli eventu manifeſtum eſt; illîc ſanè proſpero, hîc admodum funeſto. Illîc enim *poteſtatem* conſequuta eſt *Beſtia in omnem tribum, linguam & gentem*, &c. hîc verò ſubitam & fatalem ſibi ruinam accerſit, ut in textu videre eſt.

Et cadavera eorum (jacebunt) *in* πλατείᾳ URBIS *magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma & Ægyptus, ubi & Dominus ipſorum crucifixus eſt.* Verſ. 8.

URBS *illa* cognomine *Magna*, ROMA eſt, ſic dicta, non tam quantitatis intuitu, quàm quòd aliarum Urbium regina eſſet; juxta illud Angeli cap. 17. ult. *Mulier quam vidiſti, eſt* URBS illa MAGNA, *quæ regnum habet ſuper reges terræ.* Quemadmodum nomine REGIS *magni* (quomodo Deus appellatur, Pſ.

Ad Cap. II

48.3. & Matth. 5. 35. quíque titulus olim peculiariter Regibus Aſſyriorum & Perſarum competebat) innuitur Rex regum, qui in alios reges poteſtatem habet. Unde per totam Apocalypſin, quocunque aliàs nomine ROMA appelletur, ſive *Babylonis*, ſive *Meretricis*, ſemper hoc titulo *Magnæ* inſignitur; ut *Babylon illa Magna, Meretrix illa Magna.* Adde, quòd in tota Apocalypſi, nulli præter ipſam urbi titulus iſte tribuatur, niſi, demum poſt excidium ejus, *Novæ iſti Jeruſalem de cælo deſcenſuræ, in cujus lumine* deinceps *ambularent Gentes.* Quam qui hîc ſignificari putaret, ei ſanè helleboro opus eſſet. Atqui nec Jeruſalem Joannis ævo fuit, neque ulla alia Jeruſalem præter ipſam, unquam futura eſt *Urbs Magna*, ſeu aliarum Orbis urbium caput & regina.

Cap. 21. 10.

Additur, *Quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma & Ægyptus: Ægyptus*, ob tyrannidem in populum Dei, inſtar Ægyptiacæ: *Sodoma*, ob ſcortationem, ſcilicet ſpiritualem. Eſt autem hîc (quod Lector diligenter obſervet) CLAVIS allegoriæ, (cujuſmodi plures in hoc libro occurrunt) quâ nempe Spiritus Sanct. ſemel innuere voluit, quicquid uſpiam de plagis Ægyptiacis, aut Sodomorum clade, in hiſce Viſionibus exhibeatur, id omne πνευματικῶς, id eſt, myſticè interpretandum eſſe; quum nempe ROMA, ſtatúſve rei Romanæ, plagarum iſtarum omnium ſubjectum, Sodoma ſit atque Ægyptus myſtica. Occurrunt autem, de plagis Ægyptiacis, in deſcriptione Tubarum & Phialarum, necnon in hac ipſa Teſtium hiſtoria; de Sodomorum clade, in Judicio Beſtiæ, c. 19. 20. & 20. 10. quorum omnium ſenſus hac *Clave* aperiendus eſt. Hinc etiam demonſtrari poteſt,

Ad Cap. II.

poteſt, Tubarum ſubjectum eſſe ditionem Romanam. Quoniam ex earum plagis quædam Ægyptiacę ſint. cui autem plagæ Ægyptiacæ inferrentur, niſi Ægypto? Atqui hæc, Spiritu Sanct. authore, *Roma* eſt.

Ità de Urbe magna res plana eſt. Sed quid ſit πλατεῖα illa Urbis, cujus hîc mentio, non adeò ſcitu facile eſt. Sanè enim pro *vico*, aut eo quod Latinè *plateam* dicimus, aut *foro*, aut loco quovis alio intra Urbem, ſumi non poſſe videtur; ídq; ob ſequentes rationes.

Primò enim Chriſtus Dominus, qui in hac πλατείᾳ crucifixus dicitur, neque in Urbis Romæ, neq; Hieroſolymorum vico aliquo, aut foro, aut areâ crucifixus eſt; quinimo extra hujus portam (Heb. 13. 12.) in illius autem provincia duntaxat, à Pilato Præſide. Ergò πλατεῖα τῆς πόλεως τῆς μεγάλης, non eſt vicus aliquis, aut via latior intra alterutrius Urbis mœnia, ſed locus extra Urbem.

2. Πλατείαν ſingulari numero poſitam, ejus generis rem deſignare veriſimile eſt, cujuſmodi unicam Urbs habeat, non plures. At vici in qualibet Urbe, ſaltem inſigniori, plures ſunt.

3. Ibi jacere corpora Teſtium putandum eſt, ubi bello victi ſunt. At bello congredi non ſolet intra Urbis mœnia; ſed, ſi non in hoſtico, ſaltem in regione & provinciis Urbi ſubjectis.

4. Quorum occiſorum *cadavera, per tres dies & dimidium, populi, tribus, linguæ & gentes* coràm intueri potuerint, & curare nè ſepelirentur; ea non in Urbis magnæ vico aliquo aut platea jacebant, ſed aut diſperſa fuiſſe, aut circumlata per provincias vi-

Ad CAP. II.

dentur; ad quas idcirco significatio τῆς πλαλίας accommodari debeat. Et si quis dixerit, exercitum *Bestiæ*, quo *Testes* fusi cæsique sunt, ex variis populis & linguis conflatum esse, ideóque facilè cadavera eorum cernere potuisse quos ceciderant: ad argumentum superius recurrendum est; cum tantis exercitibus congredi non solere intra Urbis mœnia. Nam omnino res ità explicanda est, præsertim ubi nulla allegoriæ ratio obtendi potest, ut nè sensui literali quid absurdi insit.

Quid igitur hîc aliud dicemus, quàm πλατείας nomenclaturâ regionem & territorium universum Urbis ditioni subjectum designari; idq; significationis, vel ab Hebraico חוץ traxisse, cui sæpe in versione Septuag. respondeat? nimirum pro more & usu linguæ Hellenisticæ, quæ vocem Græcam voci Hebræę πολυσήμῳ unâ significatione juxta usum suum nativum respondentem, etiam alteri significationi adhibere soleat; ut multis exemplis probari possit, si res esset hujus instituti. Jam verò חוץ Hebræis significat, quicquid omnino extra sit, sive extra ædes, ut vicos & vias in urbibus, sive extra urbem, ut χώραν regionem seu agrum circumjectum. Sanè Job 5.10. ubi in Hebræo est עַל פְּנֵי חוּצוֹת Chaldæus reddit: *Qui dat pluviam super faciem terræ, & mittit aquas super faciem provinciæ seu regionis populorum.* Vel à notione latitudinis, ut sit idem quod πλάτος τῆς γῆς. Isa.8.8. *Et extensio alarum ejus* (id est, Assyrii) *implebit latitudinem terræ tuæ, ô Immanuel.* & Apoc.20.9. de *Gog* & *Magog*, ἀνέβησαν ἐπὶ τὸ πλάτος τῆς γῆς, καὶ ἐκύκλωσαν — τὴν πόλιν τὴν ἠγαπημένην. Huc enim facit, quod רְחֹב quæ vox altera est, quam Septuag.

ptuag. πλατεῖαν transferunt, & רֹחַב quæ *latitudinem* seu πλάτος significat, easdem omnino literas habeant, & utraque Chaldęis, unâ eadémq; voce, פְּתָאָה dicatur. Vel denique notione latitudinis, quæ voci πλατεῖα nativa est, innuere voluit Spir. Sanct. amplitudinem ditionis Urbis illius magnæ, quâ omnes Urbes superaverit, hodiéque superet: ac si ἐπὶ τῆς πλατείας positum esset pro ἐπὶ χώρας τῆς πλατείας, &c. Sanè vox πλατεῖα Adjectivum est Substantivè positum, proindéque subintelligi aliquid debet; & verò aliud atq; aliud potest, ad significationem ejus explanandam. nec scio, an illa *vici* significatio apud veteres scriptores Græcos admodum reperiatur. Ad Cap. 11.

Jam verò autem, cui hæc interpretatio sese probaverit, ei ampliùs obscurum esse non potest; aut quâ ratione Christus in πλατείᾳ urbis Romanæ crucifixus dicatur, aut ubi Testium occisorum cadavera abjicienda sint; nempe non in Urbe Roma, sed intra ditionem Romanam. Scio equidem, complures nostrorum, ut ad eundem scopum perveniant, hîc Urbis nomine totam Urbis ditionem intelligere. Sed quid tum, amabo, πλατεῖα erit? Nam quorum alterutrum ut sit, propè necessarium videtur, neutrum esse potest. Non ditio, ut quę jam ipsius Urbis nomine designetur; Non provincia aliqua, ut quas urbs magna plures habeat, πλατεῖα verò unum quid & singulare, singulari numero positum, innuat. Atq; hæc de πλατείᾳ τῆς πόλεως τῆς μεγάλης notâsse sufficiat. jam pergamus ad reliqua.

Et cernent (homines) *ex tribubus & populis & gentibus cadavera eorum per tres dies & dimidium, & cadavera eorum non sinent poni in monumentis.* Vel, *Et erunt* Vers. 9.

Ad CAP. 11

erunt ex tribubus & populis & gentibus qui cernent cadavera eorum, &c.

Utrùm hoc in immanitatis, an verò beneficii partẽ accipiendum ſit, in ambiguo eſt; nec niſi ex prophetię complemento determinandum. Poteſt enim accipi, vel tanquam ab hoſtibus profectum, hoc inſuper ignominiæ, ad cumulum quam patraverant cædis, adjicientibus, ut interfectorum corpora ſepulturâ prohiberent: Vel tanquam ab amicis & fautoribus Teſtium, hac nimirum ratione, quaſi mox rẽvicturis conſulentibus. Ut ut enim maximę alioquin immanitatis ſit, non ſepelire mortuos, & inſepultum abjici, præſertim apud Judæos, pro ſumma ignominia habebatur: tamen qui ità occubuerunt, ut non planè deſperatum ſit, quin adhuc vitæ reſtitui poſſint, eos ſepulcri clauſtris tantiſper prohibere, in beneficii loco ponendum eſt. Si prius ſtatuendum; innui hoc typo videtur aliqua *infamiæ* aut *ignominiæ* nota, quâ Beſtiani, ſuſtuliſſe *Teſtes* haud contenti, eoſdem inſuper mulctabunt. Sin poſterius; *ſubſidii* aliquid à populis Reformatis, quorum formidine, utpote multitudinis longè maximæ, ideóq; , recenti adhuc vulnere rebúſque nondum confirmatis, ad deſperationem haud impunè provocandæ; aut ſaltem operâ & favore occulto, futurum ſit, nè ità cum *Teſtibus* agatur, ut nulla ſpes ſit reviviſcendi. Achmetes ex Indorum diſciplina, Apotel. 130. *Si quis in ſomnis viſus ſibi fuerit ſepultus, ſepulcrum ipſum ad plenam certitudinem interitûs ejus ſpectat. Si videre viſus fuerit defectum aliquem rerum ad ſepulturam pertinentium, is defectus ad ſpem refertur.* Si jam quæras, ecquid in textu appareat, quod ad hanc interpretationem

tionem potiùs inclinet quàm ad illam? Ego verò illud in hujus rei argumentum traherem, quod cùm diverſo modo & verbis ſuppoſitum hîc enuntiet, atque cùm de hoſtibus ſequenti verſu agat; non eoſdem hîc atque illîc intelligi velit, ſed diverſos; illîc quidem hoſtes, hîc verò amicos *Teſtium*. Nam de hoſtibus in ſequenti verſu exultantibus & munera invicem mittentibus, dicit, Οἱ κατοικοῦντες ἐπὶ τῆς γῆς· de iſtis verò qui Teſtium cadavera non ſinent poni in monumentis, Ἐκ τῶν λαῶν, καὶ φυλῶν καὶ γλωσσῶν καὶ ἐθνῶν, partitivè, quaſi certos quoſdam notaret diverſo à reliquis ingenio. Judicet Lector. Ad Cap. 11

Per tres dies & dimidium.

Id eſt, ut videtur, *triennium & ſemeſtre*. Nam de diebus horariis intelligi non poſſe arguunt, quę tunc gerenda prædicuntur. Ecquis enim credat, *tridui & dimidii diei* ſpatiolum, aut famæ necis Teſtium per Orbem diſſeminandæ, aut Legatis cum muneribus ultrò citróque inter gentes mittendis ſufficere? Imò nè parandis quidem ſufficeret. Adde quòd dimidium diei horarii, ſeu horæ duodecim, hujuſmodi actibus determinandis prorſus ineptum ſit. Non enim ad horas res iſtiuſmodi obſervari ſolent, quinimo ad menſes, ſaltem ad dies integros. Interim animadvertendum, tempus hîc computari non *Teſtium* occidendorum, ſed quo jacebunt mortui & inanimes, poſtquam jam occubuerint. Quamdiu autem bellum ipſum durabit, quantúmque temporis dabitur *Prophetis* interficiendis, non niſi vaticinii complementum docebit.

Et qui habitant ſuper terram gaudebunt ſuper illis, & hilares erunt, & munera mittent invicem, Verſ. 10.

Ad Cap. II. *quòd hi duo Prophetæ torſerant habitantes ſuper terram.*

De more mittendorum munerum in publico gaudio aut in magna lætitia, vid. Eſtheræ c. 9. 19, 22.

Verſ. 11. *Sed poſt tres dies & dimidium, Spiritus vitæ à Deo ingreſſus eſt in illos, ſteteruntque in pedes ſuos, & metus magnus cecidit in eos, qui ſpectârint ipſos.*

Qualis erat *Teſtium* mors, talis erit excitatio à mortuis ſeu reſurrectio; nempe reſtitutio in ſtatum priſtinum; ídque non tam operâ aliquâ aut auxilio humano, quàm digito Dei, qui mirabilis eſt in operibus ſuis. Hoc enim innuit, *Spiritus vitæ à Deo ingreſſus eſt in illos.* Achmetes Apoteleſm. 6 & 7. ex Ægyptiorum & Perſarum diſciplina. *Si quis in ſomnis ſuſcitationem mortuorum videre viſus fuerit, ea res vinctorum liberationem ac bellorum finem ſignificat.* Apot. 7. *ex calamitatibus ereptionem.* Videſis Ezech. cap. 37.

Verſ. 12. *Et audierunt vocem magnam de cælo dicentem ipſis, Aſcendite huc. Aſcenderúntque in cælum per nubem (vel in nube) & conſpexerunt illos inimici eorum.*

Non reſtituentur ſolummodo *Teſtes* in locum & ſtationem priſtinam, quinimo evehentur in ſublimiorem aliquem honoris & poteſtatis gradum. Id enim, *nube vehi & in cælum aſcendere*, ſignificat. Vide Dan. 7. 13. Iſai. c. 14. 13. & 19. Unde in Apoteleſmatis inſomniorum, quæ ex priſcis Ægyptiorum & Perſarum monumentis collegit Arabs ille, quem toties laudavi, Apomaſar an Achmetes? legitur, *Si rex in nubibus conſedisſe ſibi viſus fuerit, & vehi quocunq; libeat, barbari hoſtes ei ſervitutem ſervient, quibus ipſe cum imperio præerit.* Item, *Si Rex ad cæ-*

cælum quaſi volâſſe viſus ſibi fuerit ubi ſidera eſſent, ſuper Reges cæteros eminentiâ potietur & famâ. Item, *Si Rex viſus ſibi fuerit ſurſum profectus, in cælo conſedisſe, regionem eâ majorem quam poſsidet in poteſtatem rediget.* Apotel. 162. & 164. Hæc eò adduco, ut oſtendam, parabolam iſtam, eâ quam dico ſignificatione, apud Dei Prophetas, ex uſu Orientis adhibitam. Non igitur, ut antea, miniſterium Teſtium deſpicatui erit, neque ipſi pro abjectæ & contemptæ ſortis hominibus habendi. Adeò illud quod Salvator de ſeipſo dixit Luc. 24. 26. *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum & [deinde] introire in gloriam ſuam?* in Prophetis quoque ſuis vim ſuam & veritatem conſequetur. Et quis novit, annon Eccleſia Reformata probrum Chriſto hac parte illatum, Teſtium ad tempus ſublatione, luitura ſit; quòd eos pro legationis dignitate, dum fruebantur, non habuiſſent? Notum eſt nimis, quid ab Eccleſiis Reformatis in hanc partem peccatum ſit: útque dum Prophetæ Chriſti, Templo Dei repûrgando ſtrenuè incubuere, alii interim, gazis ejus expilandis oblationibúſque intervertendis, ſanctiſſimum opus commaculârunt; nè alimentis quidem alicubi (magno veræ Religionis dedecore) relictis, quibus Miniſtri ejus honeſtè & pro ordinis ſui dignitate ſuſtentarentur; nedum ut quod ſuperabundaret, ad Rei reformatæ amplificationem, belli ſacri neceſſitates, afflictorum fratrum ſubſidium, aliósque pios uſus ſeponerent. Annon verò id genus fuit prævaricatio illa, ob quam olim Templum Judaicum Antiocho Epiphani prophanandum, atque Religio veri Dei triennio ſimiliter conculcanda data fuerit? *Exercitus*

Ad Cap. II.

Ad Cap. II

tus, inquit Daniel, *dabitur ei contra juge Sacrificium propter prævaricationem, & projiciet veritatem in terram, & faciet, & proſperabitur*, cap. 8. 12. Vide autem hiſtoriam lib. 2. Mac. ab initio cap. 3. ad 5. & judica. Sed nolo ampliùs unguem in hoc ulcere. Hoc tantùm adjiciam. Fortè hoc honoris & poteſtatis augmentum Teſtibus à reſurrectione ſua, ſupremi magiſtratûs juſſu (quæ vox illa de cœlo eſſe videtur) obventurum, tanquam in infamiæ illius atque ignominiæ compenſationem, quâ eoſdem Beſtiani mortuos multaverant; ſi modò id ſignificatum fuerit prohibitione iſtâ ſepulturæ.

Verſ. 13.

Et in illa hora factus eſt terræmotus magnus & decima pars Urbis (puta illius magnæ) *cecidit, & occiſa ſunt in terræmotu nomina hominum ſepties mille.*

Quo tempore Teſtes ſeu Prophetę in vitam rediérunt atque aſcenderunt in cœlum, *factus eſt terræmotus magnus*. i. magna gentium commotio & rerum politicarum converſio; quâ nempe Teſtibus via aperta, atque facultas data ſit in vitam redeundi, cum tanto dignitatis & poteſtatis auctario. Eo gentium motu Δεκατον *Urbis corruit, & occiſa ſunt nomina hominum ſepties mille.* Quorum verborum ſententiam, ut quantum in re futura fieri poſſit, vero quàm proximam aſſequamur, duo nobis præſtruenda ſunt & probanda. Primum, cùm nullus non Beſtiæ ruentis caſus Phialarum aliquâ contineatur, eandem igitur hîc Beſtiæ cladem deſcribi quæ ad effuſionem Phialæ quintæ. Argumento eſt idem utrobique plagæ ſubjectum; illîc *ſedes ſeu thronus Beſtiæ*, hîc Urbs illa magna. Eſſe enim Urbem illam magnam, Romam nempe, Beſtiæ ſedem, notius

notius eſt, quàm ut probari opus ſit. Firmatur ampliùs; quia clades quæ hîc deſcribitur, tam propè antecedat plenariam Beſtiæ abolitionem ad Tubam VII, ut nihil interea interveniſſe narretur præter abitionem VÆ *ſecundi*. Jam verò omnimoda Beſtiæ abolitio opus eſt Phialæ noviſſimæ; Abitio VÆ *ſecundi* ſeu plagæ illius ab Euphrate, Phialæ ſextæ. Ergò Urbis magnę clades, quę abitionem iſtam proximè antevertat, competit in Phialam quintam. Alterum à nobis præſtruendum, eſt, Urbis magnæ caſum iſtum eſſe ipſiſſimam Babylonis cladem, quæ cantatur cap. XVIII. Probatur, quia ex eodem capite certum eſt, iſtam Babylonis ſeu Urbis Romanæ cladem prægreſſuram eſſe plenarium Beſtiæ excidium, & auguſtum Chriſti regnum cum VII Tuba ineundum. Jam verò, quæ hîc narratur Urbis ejuſdem clades, idem illud regnum tam propè antecedit, ut Spiritus, nullius præterea cladis mentione injectâ, ad Regnum illud & Tubæ VII deſcriptionem ſtatim tranſeat. Neceſſe eſt igitur, eandem utrobique Urbis illius cladem deſcribi. Quis enim in animum ſibi inducat, ut credat Sp. S. cladem illam maximam omnino prætermiſurum fuiſſe, minoris alicujus cladis mentione interpoſitâ, & cum illa nullo modo comparandæ? Ad Cap. II.

His ità ſe habentibus, ſequitur, hujus loci interpretationem ad illius normam dirigendam, & quaſi ad lydium lapidem probandam eſſe; adeóque iſtiuſmodi horum verborum mentem quærendam, quę cum cladis illius Babylonicæ deſcriptione conſentiat. Quod quâ ratione fieri poſſit, jam videamus. Philippus Nicolai Auguſtanæ confeſſionis

Ad Cap. II. Theologus, vir doctus & acutus, per ΔΕΚΑΤΟΝ τῆς πόλεως intelligi putat *Decarchiam* URBIS, ſeu decem Regna ditioni ejus ſubdita, quæ nempe in hoc gentium motu, à Roma, cujus imperio tot annis ſuberant, ſeceſſu facto, deficerent, juſſa ejus deinceps non factura. Idipſum nimirum quod alibi dicitur, *Decem Reges qui poteſtatem ſuam tradiderant Beſtiæ, tum cùm ſermones Dei completi fuerint, odio habebunt Meretricem, ſolitariam eam efficient & nudam, carnes ejus comedent ipſámque exurent igne.* Sed hujuſmodi notio vocis Δίκατον, ut ut mihi ipſi de hujus loci ſententia cogitanti, prima ſeſe obtulerit, & rei ipſius concinnitate valde abblandiebatur: poſtea tamen rem propiùs intuenti, duriuſcula viſa eſt & inſolens; ut verear nè iis, qui ſimplicem & incoactam interpretationem deſiderent, haud facilè ſeſe ſit probatura.

Aliam igitur interpretationem quæro. Et primò animum ſubit, Δίκατον fortaſſe *tributi* nomen eſſe; ſive ejus quod Pontifex ex toto Beſtiæ regno, ſive ejus quod ex latifundiis ſuis URBS ipſa dominii jure accipit. Hanc URBIS *decimam* in magna iſta rerum commotione caſuram, i. *defecturam eſſe*; eóq; innui, URBIS principatum prorſus extinctum iri: ſcilicet, agro ſibi pro patrimonio attributo ſpoliatam, & Pontifice vi indè pulſo, prærogativam & dominium, quod in urbes populóſque longè latéque exercere ſolebat, amiſſuram; cùm, quod ei prærogativam & dominium conciliaverat, non ampliùs futura eſſet; putà Regni Beſtiani metropolis, aut Pſeudoprophetæ ſedes. Notum eſt enim, *Tributum* eſſe dominii ſymbolum, ejúſque nomine pleraſque ſub antiquæ

antiquæ Romæ imperio provincias omnium fructuum partem decimam quotannis persolvisse. Quod in Orientis quoque regnis solenne fuisse, tum ex 1. Maccab. cap. 10. 31. & 11. v. 35. tum ex illa juris regii summula, 1. Sam. 8. (cave enim quod de decimis ibi dicitur, de decimis sacris accipias; Regiæ fuerunt, regibus tanquam Vicediis pendi solitę) probari potest; quod & Aristoteles confirmat Oeconomicorum l. 2. Non igitur insolens videri debuit, si quis hîc affirmaret, nomine *decimæ*, speciei tam vulgatæ, quodvis in genere URBIS tributum significari posse. Sed eò devenire non est opus, cùm in Italia ea tributi ratio necdum obsoleverit, & præterea Pontifex Romanus, in Imperio suo Ecclesiastico, imaginem ejus jam olim instauraverit; omnium beneficiorum Ecclesiasticorum partem decimam quotannis exigendo. Atqui huic interpretationi obstat, quòd tunc potiùs δεκάτη dicendum fuisse videtur, quàm δέκαλον. Præterea vox ἴσον, quâ necesse est effectum aliquem terræmotui congruum designari, hujusmodi interpretationi non satis obsequens est. Imò si stare posset, ruinam tamen Babylonis, quacum eandem esse præsupponimus, nimis obscurè & dilutè, nec ut par erat, exprimere videretur. Ad Cap. II.

Tandem igitur, donec quis certius aliquid & textui magis consonum edocebit; eò dilabor, ut existimem per ΔΕΚΑΤΟΝ τῆς πόλεως, partem quidē Urbis intelligi, verùm non hodiernæ Urbis partem aliquam, sed totam; totam dico ROMAM *Pontificiam*, quæ *decima pars* est illius antiquæ. Quod quidem ità esse, neque veteris illius Romæ qualis Joannis ævo fuit, hodie

Ad Cap. II

hodie ſupereſse pluſquam decimam, ex ſequenti ratiocinio perſpicere licet.

Siquidem ROMAM illam veterem, qualis Joannis ævo fuit, adſtruit Lipſius, formâ quod attinet, propemodum rotundam fuiſse, haud tamen juſtè; ſemidiametrum ejus, à milliario aureo in capite Fori Romani ſtatuto ad extrema ædificiorum, habuiſſe ad ſeptem millia paſſuum, ambitum deniq; fuiſse milliariũ 47. Cùm igitur exactè rotunda non fuerit, ad aream ejus metiendam minuamus ſemidiametrum uno milliari (quantum ſcilicet in figura ſexangula pro perpendiculari in latus minuendum eſset) erit 6. quę cum 21 dimidio peripheriæ multiplicata, dabit aream Urbis 126.

Jam verò ROMA *hodierna* ſeu *Pontificia* ambitum habet non niſi XIII, aut XV milliarium, *ut nôrunt*, inquit Lipſius, *qui dimenſi ſunt*; formam, ut ex ichnographia ejus videre eſt, quadrangulari proximam, oblongam, proportione quaſi duplâ. Cui idcirco dimetiendæ, conſtituatur parallelogrammum rectangulum, cujus perimeter ſit 15, longitudo ad latitudinem dupla. cujuſmodi nimirum erit ex lateribus $2\frac{1}{2}$, & 5. Quibus inter ſeſe multiplicatis, prodibit Area $12\frac{1}{2}$. Jam numerus 126 numerum $12\frac{1}{2}$ decies comprehendit. Eſt igitur Area poſterior prioris, ideóque ROMA hodierna illius antiquę, pars decima, quod erat demonſtrandum. Cui hujuſmodi ratiocinationes minùs uſitatæ ſunt, oculorum ſuorum judicium adhibeat in ſequentibus diagrammatis.

Admirand. lib. 3.

ROMA

Ad Cap. II

ROMA vetus XLII milliarium ambitu.



ROMA hodierna XV mille paſſuum ambitu.



ΔΕ'ΚΑΤΟΝ
τῆς πόλεως.

Non poſſumus quidem hîc omnia ad lineam & regulam examinare; ſed mirum eſt, id quod poſſumus tam propè convenire. Urbis autem hodiernæ ambitum definio, quibus ea nunc cingitur muris: nam extrà, contrà quàm olim, hodie non habitatur, ſed tota, quanta quanta eſt, muris includitur, muris verò, quos ei Hadrianus I, & Leo IIII, Pontifices, ceu Pontificalis regni ſedi jam factæ, terminum, fatali quaſi inſtinctu, poſuere. Nam ità tradit Blondus, muros qui nunc extant, ab Hadriano I centenis aureorum millibus è Thuſcia contractis extructos. Eos poſtmodum, ut ex aliis notum, Leo IIII, ad annum Domini 850. ſive refecit, ſive perfecit, & Tranſtiberi ſeu Leoninâ Civitate adjectâ, Urbem in eam quâ nunc cernitur formam & ambitum complevit. Et quamvis ſpatii muris incluſi multum habet vacuum & deſertum, tamen cùm

Ad Cap. 11. muri in præcipuis Urbis operibus numerandi ſint, Urbs ipſa muris ſuis anguſtior putari nequit; amplior quidem eſſe potuerit, ſi, ut olim vetus illa, continentibus ædificiis quaquaverſum extra muros porrigeretur.

Ut jam tandem finiam, ſumma huc redit; Id dicere ſive innuere velle Spiritum Sanct. tantum *Urbis magnæ*, quantum ad hunc terræmotum ſuperfuerat, id temporis ruinam feciſſe, videlicet ἀπαρτον τῆς πόλεως· neque enim amplius eouſque ſuperfuturum eſſe. Novem partes multis antè ſeculis caſuræ erant, & verò nos vidimus cecidiſſe; partim cladibus & vaſtationibus, quas Barbari tot vicibus intulerint, partim vetuſtate nimiâ fatiſcentes, partim etiam (ut ad quartam Tubam indicavimus) fulminibus diſturbatas: DECIMA Pontifici Romano fato ſervata fuit, novi Imperii caput conſtituenda & Meretricularum Chriſtianarum mater. Hanc terræmotus iſte, qui cum Teſtium reſurrectione conjunctus erit, funditus demolietur.

Nec tamen fortaſſe neceſſarium fuerit, ut Spiritum S. de Urbis decima parte locutum, tam rigidè, ut fecimus, ad leges Geometricas interpretemur: ſat fuerit, ſi, ut olim cùm de populi Judaici excidio apud Iſaiam agens dixerat, *Decimam* ejus *ſervatum iri, ac in terram ſuam reducem fore:* ità hîc intelligamus, non tam juſtè *decimam*, quàm partem aliquam minimam, quaſi *decimam*, de priſtina illa *Romanæ Urbis* amplitudine, ad Beſtiæ hujus ſedem & cladem noviſſimam ſuperfuturam eſſe.

Additur: *Et occiſa ſunt in terræmotu nomina hominum ſeptem mille.*

Hîc

Ad Cap. II.

Hîc ſi *nominibus hominum* hominum capita, ſeu ſingulos homines, intelligamus; nimiùm exilis videtur numerus, neque pro magnitudine cladis, quam alibi innuit Sp. S. Ecquid enim in excidio Babylonis, non longè major erit occiſorum numerus, quàm ſeptem millium hominum? Et num effuſionem Phialæ quintæ in THRONUM *Beſtiæ*, tantillâ hominum ſtrage abituram, veriſimile eſt? Huic ſcrupulo, ut aliquo pacto ſatisfiat; primò advertendum eſt, Urbis nomine hîc intelligi, non Cives & incolas, ſed ædificia ac mœnia, id eſt, Regiam Beſtiæ: ſícq; duplicem BABYLONIS interitum in hiſce Vaticiniis deſcribi: Primò BABYLONIS pro *Urbe* Beſtiæ Regia, puta, URBE *Romana*, ad Phialam quintam: Deinde BABYLONIS pro *civibus* aut *Civitate Romana*; quam nimirum conſtituit Papa cum Cardinalium purpuratorum ſenatu, reliquáq; civium, præſertim Eccleſiaſticorum, turba. qui, ROMA deſtructâ & concrematâ, aliò ſeſe habitatum conferent, ad Phialam noviſſimam reſervandi. Ad cujus nempe effuſionem dicitur, præter alias, ubivis terrarum, gentium & Civitatum, in terræmotu illo longè omnium, qui unquam fuerunt, maximo, ruinas, etiam BABYLONEM *illam magnã veniſſe in memoriam coram Deo, ut daret illi calicem indignationis iræ ſuæ*: quum tamen BABYLONIS illa crematio & excidium, quod capitibus 18 & 19 deſcribitur, omnino plenariam Beſtiæ & Pſeudoprophetæ exterminationem antevertat, ut in textu ibidem manifeſtum eſt. Scio, quoſdam aliter hunc nodum expedire, dicendo, BABYLONEM, cujus ad Phialam noviſſimam mentio, eſſe Conſtantinopolin, Turcarum metropolin:

Ad Cap. 11

ſed nunquam mihi perſuadebunt, Sp. S. in primaria & præcipua omnium imagine, tam inſigni homonymiâ uſum, & duas, non verò unicam ſemper & eandem, licèt duplici reſpectu, Babylonem intelligere. Ad propoſitum igitur ut veniamus. Fieri fortaſſe poteſt, ut prior illa Babylonis clades, id eſt, *Romanæ Urbis* devaſtatio & excidium, abſq; immani aliqua, nedum totali civium nece peragenda ſit. Et quamvis *fumus ejus aſcenſurus ſit in ſecula ſeculorum*, id eſt, ipſa tota in cineres vertetur, & ſolo æquabitur, nunquam iterum habitanda; tamen magnam partem Civium ex Urbis clade evaſuram; vel quia fugâ ſibi tempeſtivè conſuluerint, vel alia de cauſa, quam eventus manifeſtam faciet.

Atque hæc una ratio eſt, quâ ſcrupulo de exili nimiùm cæſorum numero ſatisfieri poſſit. Altera eſt, ſi dicamus per ὀνόματα ἀνθρώπων fortaſſe deſignari ἀνθρώπους ὀνομάτων, *Viros nominis*. Hujuſmodi enim hypallage in Scripturis non infrequens eſt, ut in rectione nominũ, id quod epitheti loco eſt, præcedat. Teſtantur *Argentum ſiclorum* Lev. 5, pro ſiclis argenti ſeu argenteis. *immunditia hominis*, pro homine immunditiei, .i. immundo. ibid. c. 7. *lex juſtitiæ*, pro juſtitia legis. Rom. 9. *divitiæ gratiæ*, pro gratia divite, & ſimilia. *Nomen* autem pro *celebritate* omnibus ferè linguis familiare eſt, præſertim ſanctę; in qua אַנְשֵׁי שֵׁם *Viri nominis* ſunt *Viri illuſtres: Filii* בְּלִי שֵׁם *abſq; nomine* (Job 30.) ἄτιμοι, *ignobiles*, Chaldæo *Idiotæ*. Unde Beza in annotationibus ad Epheſ. 1. 21. & Phil. 2. 9. de exaltatione Chriſti ſuper omne nomen, ut & Heb. 1. 4. *nomen* accipit ſignificatione dignitatis & ἀξιώματος. Hujuſmodi interpretationem

ſi

si sequamur (nec video quid opponi possit) *nomina hominum* erunt ἀξιώματα ἀνθρώπων, *dignitates hominum*; ὀνομασοὶ, *Viri nominis*, *homines illustres & dignitate* præcellentes; quorum ad septem millia (& quid si pseudoprophetici ordinis, quem illi Ecclesiasticum vocant?) in hoc rerum gentiúmque motu concidentur: numerum tamen *septem millium* ità definitum esse opinor, ut paulò major vel minor pro more Scripturæ intelligi possit. Ex plebeiis, quantus numerus in hoc bello casurus esset, nihil attinebat dicere, cùm illud ex illústrium clade conjici potuerit, nec Spiritus S. ad fæcem occisorum calculo subducendam descendere voluit. Ad Cap. II.

Sed & alia adhuc interpretatio dari potest, ut non opus sit ad hominum capita devenire: nempe si *nomina hominum* hominum cœtus & societates interpretemur, propriis suis nominibus haud minùs quàm singulares homines appellari solitos, ut sunt Civitates, municipia, parœciæ, pagi, cœnobia, & similes communitatum humanarum tituli. Hæc enim quid aliud sunt, si rem putare velimus, quàm ὀνόματα ἀνθρώπων; Sic enim Æschini Thebanorum politia vocatur Θηβαίων ὄνομα, & *nomen Romanum* ponitur pro Romanis. Quid si igitur ex istis communitatum humanarum titulis, quicunque tandem sint; & sive Romæ, sive in Statu quem vocant Ecclesiæ, ad septies mille in hoc gentium motu occidendi sint, id est, adversæ potestati succubituri, quod Scriptura pro more suo necem vocaverit? Sed non est quid temerè de re futura pronuntiandum, cùm prophetiæ commentarius sit eventus rerum prædictarum. Hęc tamen eo fine in medium attuli, ut appareat multò

Ad CAP. 11. hîc, quod verba attinet, liberiorem interpretationem esse, quàm fortè vulgò putetur: cùm *Nominis* vocabulum Scripturæ usus ad unam aliquam & certam significationem non astringat. Nec enim ὀνόματα ἀνθρώπων conjunctim, extra locum quem præ manibus habemus, usquam reperire est; nec ὀνόματα simpliciter de capitibus hominum, nisi bis tantùm, Act. 1. 15. Apoc. 3. 4. alibi aliâ atque aliâ significatione adhibetur. Restat,

Et reliqui territi sunt, & dederunt gloriam Deo Cæli.

Nempe consternatione suâ, quâ vel inviti & ingrati digitum ejus agnoscant. Dei enim sapientiam, bonitatem, aut potentiam, quocunq; indicio, agnoscere, est gloriam ei tribuere. Sicut qui à Deo deprehensi peccata sua confitentur, dicuntur gloriam Deo tribuere, ut Achan. Sequitur

Vers. 14. *VÆ secundum abiit, & ecce VÆ tertium venit citò.*

Sententia est, Terræmotum istum magnum, ad exitum VÆ *secundi* sive Tubæ sextæ, continuatum iri; cùm eóque unà lugubrem Testium prophetiam tandem finiendam esse. siquidem post tantam de Bestianis victoriam, ipsorúmque in cœlum potestatis & honoris ascensum, sacco non induentur ampliús. Si jam autem VÆ *secundum*, seu Tubæ sextæ plaga, fit illa Turcarum ab Euphrate jam olim in Orbem Romanum exundatio, ut ibi interpretati sumus: fieri vix potest, quin hæc ejusdem plagæ abitio sit exiccatio illa aquarum Euphratis futura ad effusionem Phialæ quintæ, quò *paretur via regibus ab ortu Solis venturis*, cap. 16. 12.

A quo quidem Regum Orientis adventu (nè hiatus alioquin inter utramque Tubam relinquatur) inire videtur Tuba ſeptima; adeóque mirificum illum Draconis, Beſtię & Pſeudoprophetę, ad bellum Armageddunte gerendum, apparatum (ibidem ver. 13. 14.) unà cum eventu ejus ad Phialam noviſſimam (ver. 17. &c.) in ejuſdem ſeptimæ Tubæ initium conjici debere. Et ſanè admodum congruum videtur, ut apparatus ad bellum ad eandem, quò prælium ipſum, Tubam pertineat. Ad Cap. XI.

Sed ex hoc dubitatio oboritur, quæ ſolutionem expoſcit, ideóque ſilentio haud prætereunda. Cùm enim idem ſit Menſium XLII Beſtiæ terminus, qui eſt Dierum 1260 luctûs Teſtium; & verò Dies iſti luctûs Teſtium ad abitionem plagæ Tubæ ſextæ, ſeu VÆ *ſecundi*, finiantur: quæri non immeritò poteſt, quare Beſtiæ menſes non ulteriùs putarentur, cùm poſt iſtum terminum, haud modicum Beſtiæ etiamnum ſuperſit, non niſi inchoatâ Tubâ ſeptimâ, abolendum?

Reſponderi poteſt, hoc fieri, vel quia tunc Converſio Iſraelis & novum quaſi Regnum init (nuncupantur enim REGES *ab ortu ſolis*) vel quia, in Beſtiæ duratione, ad Romanæ Urbis imperium potiſſimùm attenditur; *Urbs* verò *illa magna* Beſtiæ regia in iſthoc terræmotu capitur & disjicitur: uſque adeò, ut Beſtia deinceps formam quaſi mutaverit, cùm, Metropoli ſuâ ſic depulſa, pro *ſeptem montium* Regno (quæ altera ſeptem ejus capitum ſignificatio eſt) ampliùs haberi nequiverit.

Supereſt in textu, de clangore Tubæ ſeptimæ, & auguſto Chriſti Regno in MAGNO ILLO DIE JUDICII.

Ad CAP. 12

DICII. Cujus interpretationem ad calcem Libri differemus, ut omnia eò pertinentia vaticinia ibi simul & quasi uno intuitu repræsentemus.

MENS
DRACONIS RUFI SEPTICIPITIS cum Michaele dimicantis de Puerperio.

PRima BIBΛΑΡΙΔΙΟΤ Visio, qua de egimus cap. 11, stadium Apocalypticum totum ab initio ad finem permeavit, idque, ut alibi monuimus, ad connexionem ejusdem cum SIGILLIS & TUBIS indicandam. Ei jam Visioni reliqua ejusdem intervalli reíque Ecclesiasticæ vaticinia, ad BIBΛΑΡΙΔΙΟ systema complendum, connectenda veniunt. Ex quibus

Bellum Draconis rufi septicipitis cum Michaele, idem complectitur cum ATRIO *normali* rei Ecclesiasticę intervallum; quo nimirum in Ecclesiam *Puerperam*, de Christo in Regem Orbi Romano edendo laborantem, Imperium Romanum DRACONICOLA diris persecutionibus sæviit, pérq; annos minimùm trecentos bellum gessit contra Christi Spiritum in servis suis potenter operantem. Sed MULIER tandem post multos in parturiendo dolores, sectiones, lamenas, Christum qualem parturiebat, Regem enixa est, *recturum gentes virgâ ferreâ*, DRACONEMque de solio Romano deturbato, *facta est* in ORBE illo *salus & potentia & regnum Dei nostri, & potestas Christi ejus.*

Hac

Hac ſummâ totius rei, evidentiæ causâ, præmiſsâ, ad textum particulatim explicandum veniamus. Ad Cap. 12

Et ſignum magnum, inquit, *viſum eſt in cœlo.* Verſ. 1.

Quò nempe ſpectatum Joannes initio evocatus fuerat, & ubi ſuperiores viſiones omnes ſpectaverat. Nec alium puto hujus circumſtantiæ ſenſum quærendum eſſe. Manifeſtum eſt enim, vel ex fine capitis præcedentis, Joannem hucuſque in cœlo ſpectâſſe.

Mulier circumamicta Sole, & Luna ſub pedibus ejus, & in capite ejus corona ſtellarum duodecim.

Signum verò & imago pulcherrima Ecclesiæ *primitivæ puerperæ*; Chriſti nimirum juſtitiæ *Solis* fide circumfulgentis, *elementa mundi* (umbráſne legales, an Gentilis ſuperſtitionis tenebras?) pedibus conculcantis, Apoſtolicæ denique originis inſignibus glorioſæ.

Plerique Lunam, ſymbolum eſſe volunt rerum terrenarum & mutabilium, quas Eccleſia Chriſti infra ſe deſpicit. Quod etſi verum ſit, tamen nuſquam, ut opinor, in tota Scriptura, Luna de hac proprietate celebratur. Symbolorum autem Propheticorum interpretatio, haud facilè aliunde petenda eſt, quàm ex iis proprietatibus quibus Scriptura alicubi atteſtetur. Jam verò illud certum eſt, pleraq; feſtorum, quibus cultui typico operabatur, ad Lunæ motum deſcripta fuiſſe; ut Novilunia, Paſcha, Pentecoſte, Feſtum tabernaculorum, imò totius anni Eccleſiaſtici rationem ab ejus motu pependiſſe; quò fortè ſpectat illud Pſal. 104. 19. *Fecit Lunam* לְמוֹעֲדִים id eſt, εἰς ἑορτάς. Quidni igitur Lunæ ſymbolum ad *cultum Moſaicum* referri poteſt?

Ad CAP. 12 teſt? quem nempe Eccleſia revelatione Chriſti, quaſi proſtratum cernit, & pedibus ſuis ſubjectum: juxta illud Apoſtoli ad Coloſſenſes, cap. 2. 14. aſſerentis, Chriſtum *deleviſſe quod adverſum nos erat chirographum rituum, & cruci ſuæ affixum è medio ſuſtuliſſe.*

Porrò, cùm Deus *Solem* luminare majus ad dominium diei creâſſe dicatur; *Lunam* verò luminare minus ad dominium noctis: quidni LUNÆ noctis præfecturam ſortitæ ſymbolum, quod eſt *poteſtatis tenebrarum* ſeu *apparatum caliginis*, id eſt, *Satanæ, dæmoníumq; ejus in idolis cultum ſignificet?* Ità quidem, ut res tota ad Baptiſmum transferri poſſit, quo Eccleſia illuminanda Chriſtúmq; indutura, cultum idolorum, Satanæ, ejúſque Angelorum, cultuum & pomparum abrenuntiatione, proculcat. Hæc enim omnia vetus abrenuntiationis formula diſertè continebat; & præterea abjuraturi, ad Occidentem convertebantur, tanquam ad plagam cœli unde Nox oritur; ſicut è contrario fidem Chriſto & Deo vero Unitrino profeſſuri, ad Orientem, tanquam plagam unde Sol abactâ nocte reducit diem. Dionyſ. Areop. de Hierarch. Eccleſ. cap. 2. Cyrillus Hieroſol. Catecheſ. 1. myſtagog. Gregor. Naz. Orat. 40. Hieron. ad cap. 6. Amos. Ambroſ. de iis qui myſteriis initiantur, cap. 2. Quinetiam, ejuſdem figuræ intuitu, (ut ſuprà quoque obſervatum) duratio Apoſtaſiæ ſeu contaminati idolis Chriſtianiſmi, *menſibus* ad motum LUNÆ definitur; *Mulieris* autem & *Teſtium* in Chriſti fide perſeverantium, *annis* & *diebus*, ad motum SOLIS. Utri tamen interpretationi potiùs accederem, in ambiguo ſum, & an

an alterutri tantùm, an utrique. Sanè Apostolus ad Galatas, cap. 4. utrumq; tam pædagogiam Mosaiacam, quàm cultum idolorum Gentilium, promiscuè *Elementa mundi* vocare videtur; utrumq; Ecclesia Christi pedibus suis subjectum gloriatur. Utatur Lector judicio suo. Ad Cap. 12

Et in utero habens, clamabat parturiens & distorquebatur ad pariendum. Vers. 2.

Ecclesia, quà universè & abstractè velut Idea spectatur, Mater est; quà verò respectu singulorum, qui in ea continuò gignuntur, sobolem habet, quam Deo parturire & parere dicitur. Hoc in Prophetis adeò obvium, ut de eo non opus sit ampliùs verbum addere. Videsis Ezech. cap. 16 usque ad v. 21. Item cap. 23. v. 4. Isai. cap. 54. Hoseam c. 2. v. 4, 5. Non est igitur allegoria hac parte cujusvis importunitate vexanda, quòd scilicet Matrem à sobole distinguat, quæ tamen alioquin in unam eandémque Ecclesiam coalescant. Kimchi ad Hos. 2. v. 2, 3. *Comparatur Synagoga seu congregatio, Matri* עַל דֶּרֶךְ כְּלַל *viâ universalitatis; at* הַפְּרָטִים *singuli quique, filiis.*

Ὠδῖνες verò istæ & cruciatus, ob quos clamabat *Puerpera*, persecutiones illæ gravissimæ fuerunt, quas Ecclesia primitiva inter pariendum experta est. Notum est enim, tribulationes & angustias parturientium doloribus assimilari. Unde verba illa Isaiæ cap. 66. 7. *Antequam parturiret, peperit; antequam veniret partus ejus, peperit masculum*, Chaldæus παραφράζει· *Antequam veniat ei tribulatio, redempta erit; antequam veniat ei tremor sicut dolores parturientis, revelabitur Rex ejus*, id est, MESSIAH. Jeremias verò cap. 30. v. 6, 7. ipse imaginem hanc interpreta-

Ad Cap. 12 tur. *Interrogate*, inquit, *& videte ſi pariat maſculus. Quare ergò vidi omnis viri manum ſuper lumbum ſuum, quaſi parturientis? & converſa ſunt univerſæ facies in auriginem? Væ, quia magna Dies illa, nec eſt ſimilis ejus, tempúſque tribulationis eſt Jaacob, verùm ex ipſa ſalvabitur.* Vide etiam quid Servator ὠδῖνας vocet Matth. 24. 8, 9. Mar. 13. 9. ταῦτα ἀρχὴ ὠδίνων, &c.

Verſ. 3. *Et viſum eſt aliud ſignum in cœlo; nam ecce* Draco *magnus rufus, habens capita ſeptem & cornua decem; & in capitibus ejus ſeptem diademata.*

Verſ. 4. *Et Cauda ejus trahebat tertiam partem ſtellarum cœli, & abjecit eas in terram.*

Signum ſeu imago *Imperii Romani Ethnici* Draconicolæ; cujus utpote inſignia univerſè ſunt *ſeptem capita* & *decem cornua: ſeptem* quidem *capita*, tum ob ſeptem colles quibus Urbs inædificata eſt, tum ob ſeptem Regum ſive Dynaſtarum ordines, qui Imperium illius Urbis ſucceſſivè recturi erant: *decem verò cornua* ob decem regna, quæ noviſſimi capitis vice (cui innaſcuntur) ſurrectura eſſent. Quæ interpretatio non mea eſt, ſed Angeli cap. 17. ubi commodior erit de his, ſi quid addendum ſit, agendi locus. Interim iſtis alius Imperii Romani character hîc additur, quòd *tertiam partem ſtellarum cœli caudâ ſuâ traxiſſe & in terram abjeciſſe* dicitur; id eſt, tertiam partem Principum & Dynaſtarum Orbis imperio ſuo ſubjeciſſe. Tantundem enim, puta trientem Orbis terrarum Joannis ævo cogniti, Ditio Romana finibus ſuis circumſcribebat. *Cauda* autem, ex diſciplina Indorum apud Achmetem, in genere *poteſtatis comites & pediſſequos* ſignificat, Apot. 152. quid verò ampliùs *Serpentis cauda* innuât, mox videbitur.

bitur. Atq; hi quidem characteres Imperii Romani fuerunt universè; sed *Draconis* effigies porrò *Draconicolam* & SEMINIS *Mulieris* hostem in specie determinat, id est, Ethnicum & Christiani nominis adversarium; & cùm *rufus* quoque sit, truculentum & sanctorum sanguine rubentem. Adde, quòd Draconis typo respici videtur ad Pharaonem, veteris Synagogæ in Ægypto parientis, juxta atque Romanus Puerperæ Christianæ, hostem dirum & malignum. Nam & is similiter, eadémq; de causa, *Draconis* imagine induitur, Psal. 74. v. 13, 14. *Tu contrivisti fortitudine tuâ mare; confregisti capita* DRACONUM (id est, Ægyptiorum) *in aquis. Tu confregisti capita* LEVIATHAN (Chaldæus Pharaonis) *dedisti eum escam populo deserta incolenti.* Isa. c. 51. 9. *Suscita te, suscita te, indue fortitudinem, brachium Domini. Suscita te secundum dies antiquos, secundum generationes seculorum. Nonne tu es brachium illud olim proscindens superbam Ægyptum & conficiens* DRACONEM? Ità Ezech. 29. 3. *Pharao Rex Ægypti* DRACO *magne.* In omnibus hisce locis in Hebræo est תַּנִּין, quam vocem LXX, Symmachus, & Hieronymus *Draconem* interpretantur, & verò Syrus interpres Draconem in Apocalypsi semper eâ voce nuncupat. Cui firmando, inquit Drusius, est lingua Arabica, in qua Draco *Themnin* vocatur. Et Exod. 7. *Projecit Aharon virgam suam coram Pharaone, & versa est* לְתַנִּין *in serpentem seu draconem.* Significat quidem alioquin *Cetum* seu *balænam*, sed tanquam *Draconem marinum*, cujus nempe formam quandam referat. Sed quorsum, inquies, de voce hac adeò satagitur? Nempe ut ostenderem, quâ effigie olim abusus est

Ad CAP. 12

Ad CAP. 12

Satanas primo Adamo evertendo; illius infamati & maledicti animalis typo, in more esse Spiritui S. regna Diabolo infesta, atque Ecclesiæ suæ Mulieris semini infesta, designare.

Vers. 5.

Et stetit DRACO *ante Mulierem parituram, ut cùm peperisset, Filium ejus devoraret.*

Nempe ut PHARAO Israeli veteri in Ægypto nascenti, útque deinde Herodes Christo Mariæ, Domino nostro: ità DRACO *Romanus* Christo mystico, quem Ecclesia paritura erat, insidiatus est, ut eum statim à partu opprimeret.

Et peperit filium masculum, qui recturus erat omnes gentes virgâ [seu sceptro] *ferreâ.*

Id est, peperit *Christum mysticum*, seu *Christum in membris suis formatum*, non Mariæ, sed Ecclesiæ filium; juxta illud Apostoli ad Galatas cap. 4. 19. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis.* Nam cùm verba sint Christi periphrasis, necesse est, ut iisdem Christus aliquis designetur; nempe, ut in typis propheticis fieri amat, non verè sed analogicè dictus. *Qui*, inquit, *recturus erat omnes gentes sceptro ferreo*, id est, *potestate vi ferri seu bello partâ*; utpote in eos imperium habiturus, qui non ab origine cives fuerint, sed aut hostes aut alieni; ut eos priùs subjugare opus habuerit, quàm regeret. Verba sunt ex Psalm. 2. 9. non juxta hodiernam Masoretharum, sed veterem LXX & Apostolorum lectionem, petita. Quorum hanc esse mentem, colligere mihi videor ex cap. 19. v. 15. ubi itidem, ut in Psalmo, de Christo Domino nostro, cui primariò competunt, adhibentur: *Ex ore ejus*, inquit, *prodibat gladius acutus, ut eo percuteret gentes; ipse enim re-*

Non רֹעֵם sed רָעָה

get

get eos virgâ ferreâ. Hîc autem tribuuntur Chriſto myſtico ſeu homini Chriſtiano, Eccleſiæ apud Gentes partui, qui ad Chriſti capitis ſui typum pingitur; cuíque ejuſdammodi ſuæ ſimilem poteſtatem ſe aliquando daturum eſſe, ſub nomine Thyatirenſis Eccleſiæ pollicetur Dominus: *Qui vicerit*, inquit, *& obſervaverit ad finem opera mea, dabo ei poteſtatem in gentes, & reget eos virgâ ferreâ, & tanquam fictilia conterentur; ſicut & ego accepi à patre meo.* Juvabit hîc nonnihil, audire Andreæ verba quibus ex Methodii mente ad hunc locum commentatur: *Eccleſia*, inquit, *per eos qui Baptiſmo initiantur, citra intermiſſionem generat Chriſtum; utpote in illis formandum uſq; ad conſummatam ſpiritualis ætatis plenitudinem. Filius maſculus eſt Eccleſiæ populus--- per quem Chriſtus Deus manibus Romanorum, quaſi ferrum robuſtis, gentes regit.* Alludit ad typum Regni 4ti apud Danielem, de quo ei non aſſentîor; (quomodo enim eò David ſpectâſſet?) cæteroquin haud multum abeſt à ſcopo, ut jam apparebit. Ad Cap. 12

Et raptus eſt filius ejus ad Deum & thronum ejus.

Ἐν διὰ θρόνον, pro *Ad thronum Dei.* Raptus eſt Mulieris Filius ad thronum Dei, id eſt, ad Solium Romanum ſubvectus, ubi eâ quâ dicebatur poteſtate recturus, gentes regeret. Verè quidem Chriſtus Mariæ ad ſolium Dei ſubvectus eſt; ſed Chriſtus myſticus ſeu formatus, quem Eccleſia Apoſtolica peperit, analogicé. ſiquidem Thronus poteſtatum (ut Apoſtolus vocat) ſupereminentium Thronus Dei eſt, terreſtre cœlum: *Non eſt*, inquit, *poteſtas niſi à Deo.* Unde in Apoteleſmatis inſomniorum, *Si quis ſibi*

Ad CAP. 12

ſibi in ſomno viſus fuerit ad cælum ſubvehi, de *regia ſublimitate* interpretantur. Notum quoque eſt, in lingua ſancta Magiſtratus אלהים, id eſt, Deos appellari: *Stetit Deus in ſynedrio Dei, in medio Deorum judicat*: Item, *Dixi, Vos Dii eſtis & filii excelſi omnes.* Quemadmodum igitur in Moſis cathedra ſedere dicuntur, qui doctrinam docent à Moſe traditam: ità in Dei throno, qui vices ejus in terris obeunt. Quòd ideo partus Eccleſiæ Apoſtolicæ dicitur, *rapi* ſeu recipi *ad thronum Dei*; tantundem eſt, atque eò celſitudinis ſubvehi, ut quaſi juxta Deum ſedeat; quod, inquam, regiæ ſublimitatis eſt. Hoc autem tum impletum fuit, cùm jam ſub CONSTANTINO *magno* & ſucceſſoribus ejus, Chriſtiani, deturbato DRACONE, rerum potiti ſunt.

Verùm, inquies, cùm Chriſtus iſte myſticus, Gentes quibus imperitaret, perinde ac Chriſtus Dominus, *ferreo ſceptro* recturus dicebatur: quali demum bello, quibúſve præliis (ſi hæc ferrei illius Sceptri ſignificatio ſit) PARTUS ISTE Eccleſiæ Apoſtolicæ Orbem Romanum ſibi ſubjugavit? Aio verò duplici bello; primo ſpirituali, mirabili, & divino, adverſus Dæmones Orbis illius principes & Deos: quod quidem, exercitu Angelorum cœleſtium ſecum adverſus hoſtes dimicante, viriliter geſſit; de quo in ſequentibus agetur: Altero verò, cùm jam ſolium apprehendiſſet, etiam corporali: quod teſtantur tot illuſtres victoriæ, partim Conſtantini adverſus Maxentium, Maximinianum, & Licinium; partim Theodoſii illius magni adverſus tum alios, tum Eugenium & Arbogaſtum, Dæmonum vexilliferos; priuſquam Gentilium Draconicolarum imperio

perio Chriſtiano rebellium contumacia & ſuperbia penitus fracta & contrita conquieverit. Ad Cap. 12

Sed priuſquam hinc abeamus, unum adhuc monendum reſtat: Nempe, non ſtatim atque editus eſt Mulieris *partus*, ad thronum Dei ſubvectum fuiſſe, verùm quamprimum regno maturuiſſet. Ideo dicitur peperiſſe filium, ὃς μέλλει ποιμαίνειν, nempe non ſtatim, ſed cùm adoleviſſet. Quemadmodum & Chriſtus Mariæ, Dominus noſter, (cujus imaginem in omnibus exprimit Chriſtus iſte myſticus, Eccleſiæ partus) non ſimul atque natus erat, ſed cùm ſimiliter ad juſtam ætatem perveniſſet, ad thronum Dei ſublatus regnum adiit; ibi ſeſſurus donec poſuerit inimicos ſuos ſcabellum pedum ſuorum. Sequitur,

Mulier verò fugit in deſertum, ubi habet locum paratum à Deo, ut ibi alerent eam diebus MCCLX. Verſ. 6.

Quod cùm poſtea repetendum, & aliquantò pleniùs deſcribendum ſit, eò explicationem differemus.

Et factum eſt prælium in cœlo; Michael & Angeli ejus præliati ſunt cum Dracone, & Draco pugnavit & Angeli ejus; ſed non prævaluerunt, neque locus eorum ampliùs inventus eſt in cœlo. Verſ. 7.

Dictum eſt, *Puerperam*, partu ſuo ſalvo, *Draconis* inſidias effugiſſe. Sed quî factum ſit, ut qui eam tam diligenter obſervârat, conatu tamen ſuo exciderit, jam demum commemorari incipit. Scilicet id *Michaelis* operâ atq; auſpiciis contigiſſe, qui *Draconem* inſidiantem ſtrenuè oppugnatum ivit, eúmq; ſupetior tandem factus, de cœlo deturbavit in terram.

Ad Cap. 12 Indè Mulieris filium, non tantùm ſalvum evaſiſſe, ſed ad thronum Dei evectum eſſe, ipſámq; in tutum à *Draconis* furore locum ſeceſſiſſe.

Et factum eſt, inquit, *prælium in cœlo*, &c. nempe, dum pareret Mulier, non poſtquam peperiſſet, ut multi accipiunt. Nam certum eſt ex v. 14. bellum hoc geſtum eſſe ante Mulieris fugam in Eremum. Mulier autem in Eremum non fugit, priuſquam peperiſſet, & Filius ejus raptus ſit ad thronum Majeſtatis, v. 5. & 6. *Michael & Angeli ejus prœliati ſunt cum Dracone*] non ſoli, ſed adhibitis, quorum gratiâ dimicabant, Chriſti regis ſui Martyribus & Confeſſoribus. de quibus proinde paulò pòſt in Epinicio cantabitur, *quòd vicerunt eum propter ſanguinem* AGNI *& propter ſermonem teſtimonii ſui, neque dilexerunt animas ſuas uſque ad mortem.* id quod de nudis & ſolis Angelis dici non poteſt. *Et* DRACO *pugnavit & Angeli ejus*, id eſt, Dæmones, adhibitis itidem cultoribus ſuis Tyrannis Romanis, eorúmq; miniſtris. Sed quis, inquies, eſt iſte MICHAEL? Non, opinor, Chriſtus ipſe, ſed ut apud Danielem, ni fallor, liquet, *ex principibus primariis*, ſeu ſeptem Archangelis, *unus*, imò primus, cap. 10. nempe Angelus ille magnus, qui apud eundem *ſtare dicitur à partibus populi Dei*, cap. 12. quémque adeò Chriſtus magnus ille Archiſtrategus, Angelorúmque perinde atque hominum Rex, Satanæ ejúſque ſatellitii contra ſuos furori oppoſuit. Mittuntur enim Angeli *ob ſalutem eorum qui ſunt Dei hæredes*, Heb. 1. ult. eóſq; pro ſuo agendi modo, abſcondito & inviſibili, contra malos Spiritus, qui in hominibus, Dei Chriſtique ſui hoſtibus, operantur, protegunt & tuentur; etiamſi

etiamsi visibili specie non appareant. Ità in hoc, quo de agitur, bello primitivæ Christi Ecclesiæ contra Draconicolas Romanos, partes suas egerunt Angeli Michaele duce; quà nempe sanctos Christi Martyres & Confessores contra tyrannorum minas & vim tormentorum corroborando & in agonibus ipsorum dolores minuendo, quandoque & doloris sensum planè adimendo; quà Spirituum adversariorum impetus frangendo & debilitando, persecutoribúsque, qui eorum instinctu agebantur, nunc obstacula & impedimenta ex improviso objiciendo, conatus elidendo, nunc terrores aliáfve mentis alienationes injiciendo, ità ut incœpto subindè desistentes, Ecclesiæ vel inviti inducias & respirandi spatium concesserint: Donec tandem, post trecentûm annorum bellum, cùm Christo suos jam satis exercuisse visum esset, atque Angelis suis plenam victoriam largiri vellet; *Partu Mulieris*, Christianis rerum potiuntibus, in Imperii solio collocato, Diaboli regnum expugnatum mirabili ruinâ concidit. Hoc enim est quod inquit: *Draco non prævaluit, neque locus ei amplius inventus est in cœlo*, id est, cum omnibus copiis suis fusus fugatúsque cœlo exutus est. (In dictione *Non prævaluit*, Hebraismus est, de quo postea.) Ad Cap. 12

Et projectus est Draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas, qui seducit universum Orbem (id est, ad idololatriam impellit, hactenúsque Imperium Romanum insederat) *projectus est in terram, & Angeli ejus cum eo projecti sunt.* Vers. 8.

Id est, ipse cum omnibus Dæmonibus suis, hactenus pro Diis cultis, de culmine divinitatis quo gau-

Ad Cap. 12 debant, in imum execrationis & contemptûs devoluti sunt. Ut, quod olim in liberatione Israelis à tyrannide Pharaonis Ægyptii, cujus Draco iste imaginem gessit, factum legitur, *exercuisse Deum judicia in Deos Ægyptiorum:* idem hîc saltem, κατὰ τὸ ῥητὸν, locum invenerit. Tradunt Judæi, quòd etiam illîc. Vide enim utrumque Targum, R. Salomonem, R. Aben Ezra, cum R. Mose ben Nachman, &c. Nec est, quòd quis clara Scripturæ verba aliò detorqueat; præsertim cùm eò alludi videatur Isai. 19. 1.

Exod. 12. 12 Num. 33. 4.

Non prævaluit, pro *devictus est*, figura est, ut dixi, Hebraica, quâ *adverbia negandi* ejus cui adhibentur contrarium significant; prout in hac ipsa Visione paulò pòst habetur, *Non dilexerunt animam suam usq; ad mortem*, id est, nihili fecerunt vitam suam, seu prodegerunt pro Christo. Est enim hoc dicendi genus Hebræis, non ἐλαττωτικὸν sed αὐξητικόν. Sic Prov. 12. 3. *Non stabilitur homo in improbitate*, id est, radicitus commovetur & eradicatur. Ibid. 10. 2. *Non prosunt thesauri iniquitatis*, id est, nocent, damnosi sunt. 17. 21. *Non lætabitur pater stulti*, id est, mœrore afficietur. Et 1. Cor. 16. 22. *Si quis non amat Dominum Jesum Christum, sit anathema*, id est, quisquis odit & execratur. Vide Buxtorf. Thesaur. Gram. lib. 2. cap. 19. Ità hîc, *Non prævaluerunt Draco & Angeli ejus*, idem est atque, prorsus devicti sunt.

Pleniorem autem hujus victoriæ historiam jam dedi ad interpretationem Sigilli sexti, quocum casus iste DRACONIS contemporat; imò Sigilli illius argumentum est, quantum ad insignem Imperii Romani mutationem spectat. Quod autem, de *Partu Mulieris*

lieris in Imperii ſolio collocato & Chriſtianis tunc rerum potiuntibus, dixi; id verò ex Epinicio quod ſubjungitur clarum & expeditum eſt. Ad Cap. 12

Audivi, inquit, *vocem magnam in cœlo dicentium,* Verſ. 10.
Nunc facta eſt ſalus & potentia & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti ejus; quoniam projectus eſt Accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri die & nocte.

Sed ipſi vicerunt eum per ſanguinem Agni, & per Verſ. 11.
Verbum teſtimonii ſui, & non dilexerunt animas ſuas uſque ad mortem——

Quæ verba, ut ſunt clariſſima, & abſque omni allegoriæ velo prolata; ità Clavis ſunt totius Viſionis interpretandæ. Nam hinc liquidò perſpici poteſt, tum quæ fuerit illa *Partûs Mulieris ad Thronum Dei ſubvectio*, nempe, *ſalutis, potentiæ, & regni Dei & poteſtatis Chriſti ejus* in Solium Romanum introductio; tum quo hoſte debellato ad regnum pervenerit, nempe deturbato Κατηγόρῳ ſeu Accuſatore illo qui dies noctéſque fratres calumniatur, & traducit coram Deo; denique cujuſmodi ſecum copias adhibuerint Michael & Angeli ejus in iſtoc adverſus Draconem ejúſque ſatellitium prælio, ſanctos ſcilicet Martyres & Confeſſores, qui *vicerunt eum per ſanguinem* Agni, *& per ſermonem teſtimonii ſui, eò quòd non dilexerunt*, id eſt, prodegerunt *animas ſuas uſque ad mortem.* Et verò omnino impoſſibile eſt, ut illa Partûs Mulieris evectio, Draconis deturbatio, Regníque Dei & Chriſti introductio, non ad unum & eundem rerum eventum collineent; cùm ab omnibus, tanquam ab uno quodam rerum termino, incipiat Mulieris Fuga in Eremum, verſ. 6. & 14.

Ad CAP. 12

Quòd verò Satanas hîc nomine novo Κατήγορος seu *Accuſator* nuncupetur, qui antea *Draco* & *Diabolus* audiit; ſciendum & hoc ab Hebræorum uſu profectum eſſe; quibus eodem quidem nomine, quod illi ſuum fecerunt, jam olim appellatus eſt. Dicunt enim קטיגור *Kategor.* R. Juda in libro Muſar, citante Druſio: *Kategor*, inquit, *eſt Satan, adverſarius vel calumniator malus, qui adverſatur homini, aut calumniatur eum coram Creatore benedicto.* Majemonides ad Pirke Avoth. (ubi in Gnome R. Eliezer & hæc & contrariæ ſignificationis vox Paraclit, à Græcis quoq; derivata, occurrit) פרקליט הוא מליץ טוב על האדם למלך: קטיגור הוא הפך זה רחוא המלשין אדם ומשתדל למיתו: Id eſt, PARACLIT παράκλητος *dicitur, qui interpellat in bonum pro homine apud Regem; cujus contrarium eſt* KATEGOR. *is enim eſt, qui traducit hominem apud Regem, & conatur occidere eum.* Et ſanè, ſi aliàs unquam, durante hoc puerperio & bello, Satan κατήγορος & calumniatoris nomen dignè promeruit. Quod teſtantur tot convitia & probra, quibus Chriſtianos toto hoc tempore Draconicolæ obruebant, objicientes iis Thyeſteas cœnas, inceſtus Oedipodios, adulterium, promiſcuas libidines, homicidia, conjurationes in Principes, peſtes, famem, incendia, & quicquid publicæ calamitatis erat. Sed videtur hîc potiùs reſpici ad hiſtoriam Job, ubi Satanas calumniando & accuſando effecit, ut Job ſibi à Deo tentationibus & tribulationibus probandus permitteretur. Id quod hîc quoque innuit Spiritus Sanct. ab eo, pro more ſuo, factum eſſe. Sciens intelliget, quid velim. Sequitur in Epinicio,

Pro-

Propterea lætamini cœli & qui habitatis in iis (id est, sancti Angeli & beati spiritus, quorum feliciter navatâ operâ victoria hæc parta est.) *Væ incolentibus terram & mare* (id est, Orbem terrarum) *nam descendit Diabolus ad vos, habens iram magnam* (ideóque novum aliquod malum machinaturus) *ut qui sciat se exiguum tempus habere.* Ad Cap. 12 Vers. 12.

Nam licèt indè usque à Constantino Magno solio Romano dejectus fuit, aliquandiu tamen apud populum hæsit Draconis cultus. unde cùm, haud ità multò pòst, se tandē quoq; expellendum, & universum Orbem Rom. Baptismo Christi imbuendum fore, rebus eousq; progressis, præsentisceret: totus irâ & furore percitus, consilium iniit Ecclesiæ victoriam, quacunque adhuc ratione potuit, in discrimen adducendi; &, si conatu excideret, vel ejectus, eam novo aliquo machinamento subruendi. Quorum utroque sibi non defuisse nequissimum spiritum jam videbimus.

MYSTERIUM MULIERIS EREMICOLÆ.

MULIER *Puerpera*, debellato DRACONE, deinceps degit in *Eremo*; quo Ecclesiæ ab Ethnica tyrannide liberatæ status usque ad Tubam septimam & secundum Christi adventum, figuratur; non latentis & invisibilis, sed quasi *mediæ cujusdam conditionis* typo, Israeliticæ in deserto peregrinantis similis, ab exitu ex Ægypto ad ingressum

Ad Cap. 12

ſum Canaanitidis: Status utique ejus à DRACONIS illius rufi, tanquam Pharaonis, furore tutæ, nondum tamen eò gloriæ appulſæ, quò tandem, reliquis hoſtibus debellatis, quaſi ad Canaanęæ poſſeſſionem perventura eſt. Status equidem, qui Ethnicæ illius tyrannidis ſervitute (ex qua tanquam ex ſervitute Ægyptiaca populus Chriſtianus Chriſti potentiâ emerſit) extrinſecus melior eſſet; utpote poteſtate exindè, Chriſtianorum Imperatorum & Regum auſpiciis, factâ Chriſtum liberè colendi, ſimiliter atque Iſraelitis Eremicolis JEHOVAM; Templis quoque, ceu cultûs Chriſtiani Tabernaculis, magnificè extructis, Eccleſiæ politiâ legibus, reditibus ſacris, decimis oblationibúſq; conſtitutâ; ſed Apoſtaſiâ multimodâ, non minùs quàm Iſrael Eremicola Vitulo, Baalpeoro, Balaamo, Koracho, &c. infelix. Neque illud fortaſſe prætereundum fuerit, *Mulieris* hujuſce Chriſtianæ *Eremicolæ* Menſes XLII. totidem Iſraelis in Deſerto manſionibus reſpondere. Vid. Num. 33. Typi ratione & indole ſic expoſitâ, textum particulatim illuſtremus, reíque geſtæ aptemus.

Verſ. 13.

Quum igitur vidiſſet Draco, quòd projectus eſſet in terram, perſecutus eſt Mulierem quæ peperit maſculum. 14. *Siquidem datæ ſunt Mulieri duæ alæ Aquilæ magnæ, ut volaret à facie Serpentis in deſertum in locum ſuum, ubi aleretur per tempus & tempora & dimidium temporis.* 15. *Ejecit autem Serpens ex ore ſuo poſt Mulierem aquam tanquam flumen, ut eam à flumine abripi faceret.*

Hîc primus Satanæ dejecti, nondum verò penitus ejecti, ſed in imo aliquantiſper hærentis, conatus fuit;

Ad Cap. 12

fuit; ut MULIEREM, rerum potiunte partu ejus, in *Eremiticum* ſtatum concedentem, ſi quo modo poſſet, obrueret, antequam penitus eò à furore ipſius tuta ſe reciperet. Non enim ſtatim ut evadere cœpit, ſed aliquâ temporis morâ interjectâ, in *Eremum* pervenit. quemadmodum & Iſrael, in profectione ſua eodèm ex Ægypto ſuſceptâ, aliquantum temporis inſumpſit. Verba autem hîc poſita ità concipienda ſunt, ut ad illud quod ſuperiùs de eadem MULIERIS in *Eremum* fuga dictum erat aliquo pacto referri videatur, hac aut ſimili ſententiâ: *Cùm vidiſſet Draco quòd dejectus eſſet in terram, perſecutus eſt* MULIEREM *quæ peperit maſculum.* Nam cùm (ut ſuprà dictum) MULIERI *poſt editum & in thronum ſubvectum partum ejus datum fuit* (*nempe alis duabus Aquilæ magnæ eidem commodatis*, quaſi volatu quodam) *in Eremum concedere, ubi aleretur per tempus, tempora, & dimidium temporis: ejecit ille ex ore ſuo poſt eam aquam tanquam flumen, ut eam à flumine abripi faceret.* Ità quoque Pharao populum Iſraeliticum de ditione ſua in Eremum contendentem perſecutus eſt, ſed alio flumine.

Aquila magna Imperium eſt Romanum. *Alæ ejus duæ*, duo Cæſares bipartiti jam Imperii, Occidentis & Orientis, quorum tutelâ & auſpiciis Eccleſia in Eremiticum ſtatum conceſſit. Notum eſt enim, Imperium Romanum, ſimul ut fidem Chriſtianam ſuſcepit, bipartitum evaſiſſe, & geminis quaſi Cæſarum alis volâſſe. Hanc interpretationem nemini non obviam facit *Aquila* Imperii Romani inſigne. Sed quid vetat etiam ex ſcriptore Apocrypho typi prophetici ſignificationem confirmare? Is eſt Eſdras

Ad CAP. 12

prophetes (hoc enim eum nomine Clemens Alexandrinus laudat, Strom. lib. 3. paulò ante finem) apud quem Aquilæ typus, Regnum quartum significat, duodecim alæ pennatæ, totidem ejus Cæsares primos. Vide cap. 11. & 12. Sed dic, Lector, annon etiam hîc respici dixeris ad illud Domini, de exitu Israelis ex Ægypto, Exod. 19. 4. *Vidistis*, inquit, *quæ fecerim Ægyptiis, ut portaverim vos super alas Aquilarum, & adduxerim ad me*, scilicet in Desertum?

Verùm aliud adhuc hoc versu est, quod enodari postulet: Quorsum Tempus incolatûs MULIERIS in Eremo, quod paulò antè Diebus numerabatur, hîc in Annos convertatur, *seu tempus, tempora, & dimidium temporis?* Ego verò aliam alternationis istius causam indagare nequeo, quàm ut Clavis esset similis apud Danielem temporis notationis, nósque moneret, in iis ipsis temporibus nunc versari Ecclesiam, quæ ille *temporis, temporum & dimidii temporis* periodo definiverit. Et sanè absque hoc indice, illa temporis designatio incertissima & inexplicabilis fuisset. Unde enim, aut quo demum indicio sciri potuerit, *tempus* denotare *Annum?* aut si hoc, *tempora* non plures quàm *biennium?* Jam verò ex hac commutatione clarum est, intervallum illud in Dies 1260 resolvendum esse, eóq; significare *Annum, biennium*, & *semestre*.

Istis verò in hunc modum illustratis, dispiciamus tandem, quid Aqua illa fuerit, quam instar fluminis DRACO ex ore suo eructaverit, ad Mulierem, dum in Eremum contenderet, submergendam. *Oris scaturigo* est *sermo & doctrina*, juxta illud Prov. 18. 4.

Aquæ

Ad Cap. 12

Aquæ profundæ verba oris viri, torrens ſcaturiens eſt vena ſapientiæ. Unde verbum נָבַע quod ἁπαξλέγ. & inſtar fontis ſcaturire ſignificat, de *doctrina* adhibetur. ut Pſal. 78. 2. *Aperiam in parabolis os meum, eructabo* vel *ſcaturiam abſcondita à conſtitutione mundi:* id quod de doctrina Servatoris allegatur Matth. 13. 35. Ità Prov. 1. 23. Sapientia prædicare dicitur in plateis: *Eructabo vobis ſpiritum meum, ſcire faciam vos verba mea.* Quid igitur ſcaturigo ex ore Serpentis, Beſtiæ venenatæ, niſi *doctrina peſtifera,* id eſt, *hæreſis* erit? juxta illud Prov. 15. 28. *Os impiorum eructabit* vel *ſcaturiet mala.* Eam verò hujus temporis hiſtoria, *inſtar fluminis ex ore Draconis* prodeuntem, exhibet; *Arrianiſmum* dico & *ſobolem ejus.* Hoc *Flumine ſuo* Draco Mulierem penè abripi fecerat; voluit certè. Et profectò mirum fuit, ni Imperatores Romani, qui tum recentes Chriſto nomen dederant, necdum rem Chriſtianam plenè confirmârant, tam horrendo inter Chriſtianos (vel tantillum à perſecutione reſpirantes) dogmatum in re tam primaria diſſidio, tam internecinis partium odiis, tumultibus, crudelitate in fratres, vel illam Ethnicorum exæquante, offenſi atque abalienati fidem abjeciſſent.

Vers. 16.

Sed ſuccurrit Terra Mulieri; nam aperuit terra os ſuum & abſorpſit flumen quod ejecerat Draco ex ore ſuo.

Id eſt, Multitudo Chriſtianorum in Conciliis orthodoxâ fide prævalentium, inundationem Diabolicam exhauſit: quemadmodum Terra aquam ſolet, cùm ficcitate prævaluerit. Nam ſi *Aqua* (ſed venenata & peſtifera, qualis ex Serpentis ore prodit)

dit *hæreſim* repræſentet; omnino poſtulabat analogiæ ratio, ut quod eandem abſumptum atque abolitum iret *terrâ* figuretur, ut quæ eluviones aquarum ariditate ſua ſoleat exhaurire. Quod quidem hac in re eò commodiùs ad rem geſtam ſignificandam accidit, quia etiam aliàs in oratione hiſtorica & ſimplici, *Terra* paſſim pro *terræ incolis* poni ſoleat. Vide Gen. 41. 57. 1. Sam. 14. 25. Deut. 9. 28. & paſſim alibi.

DE BESTIA DECEMCORNUPETA *Deum blaſphemante,* ET BESTIA BICORNI SEU *Pſeudopropheta authore & Hierarcha ejus.*

Ad Cap. 13

MULIEREM Eremi fines ingreſſam nova malorum ſcena invaſit: nam in Beſtiam continuò incidit geminam, ſpecie quidem minimè reformidandam; quippe *Draconis* aut *Serpentis*, cujus ſolius horret figuram, nihil, ſed *Pantheram* aut *Agnum* præ ſe ferentem; revera tamen *Draconis* illius dejecti fiduciariam, ejúſq; vice ſoboli, quam in Eremo paritura erat, magnas ærumnas daturam. *Et iratus eſt Draco adverſus Mulierem* (indè enim capitis hujus hiſtoriam accerſo) *& abiit bellum facturus cum reliquis ex ſemine ejus* (iis nimirum quos

quos in Eremo paritura erat) *qui cuſtodiunt mandata Dei, & habent teſtimonium Jeſu Chriſti, ſtetítque ſuper arenam maris.* Ad Cap. 13

Id eſt, Cùm vidiſſet *Draco* (ille qui Romano imperio jam modò exutus erat) ſe, ad obruendam Mulierem in Eremum contendentem, Arrianiſmi eluvione nihil profeciſſe, quin ſalva nihilominus in Eremum perveniſſet; præterea neq; ampliùs paſſurum Romanum Orbem, ut ipſe proprio nomine rerum ibi, ut olim, potiretur: aliâ ratione eam aggreditur; nempe Regnum vicarium ſibi tacitè ſubſtituendo; eóque fine ſtetit ſuper arenam Maris, ut novam Regni Romani faciem tunc orituram vicariam ſibi faceret. Duplicis autem BESTIÆ rem Romanam geſturæ hiſtoria ſequitur; unius DECEMCORNUPETÆ, alterius BICORNIS, ſummâ neceſſitudine inter ſeſe devinctarum, utriuſq; ſimul, eadémque Orbis ditione, regnantis. Quarum primam DECEMCORNUPETAM, *Secularem*; Alteram BICORNEM, *Eccleſiaſticam*, ſi lubet, voca.

De Beſtia Decemcornupeta.

BESTIA *Decemcornupeta* ſeu *ſecularis*, *eſt* UNIVERSITAS *illa Decem* plus minùs *regnorum* (in quæ Cæſarum, poſt exturbatum Draconem, Imperium Barbaricâ plagâ diſſilierat) in unam denuo Rempublicam Romanam, redintegratâ *Draconis* impietate, coaleſcentium.

Vidi, inquit, *Beſtiam è Mari aſcendentem, habentem capita ſeptem & cornua decem, & ſuper cornibus ejus decem diademata, & ſuper capitibus ejus nomina blaſphemiæ.*

Ad Cap. 13

Eadem hîc *Beſtia* deſcribitur quæ infrà cap. 17. MERETRICEM bajulat; Beſtia autem ſepticeps Romana ſub vice capitis noviſſimi. Vidi, inquit Joannes, typum Regni Romani ſtatûs illius noviſſimi, quo nimirum ſub ſeptimo capite agens, in decem regna diviſum eſſet, adhúcque, perinde atque ſub prioribus capitibus ſuis fecerat, Deum Opt. Max. idolorum cultu blaſphemaret. Nam *ſeptem capitum* numerus, Romani regni inſigne eſt, ut & *decem cornuum* geſtamen. *Nomen blaſphemiæ* idololatriæ nota. *Cornibus* (quæ ſolius noviſſimi capitis ſunt) *impoſita diademata*, Regnum illud ſub noviſſimi capitis vice exhiberi oſtendunt; id quod reliquâ BESTIÆ deſcriptione ampliùs confirmabitur.

Verſ. 2.

Et Beſtia quam vidi, erat ſimilis Pardo, & pedes ejus ut Urſi, & os ejus ut os Leonis.

Id eſt, Regnum hoc, partim regiminis & ſtatûs, partim indolis ſuæ reſpectu ità comparatum eſſet; ut tres iſtas Monarchias, olim Danieli hiſce Beſtiis figuratas, confuſo quodam temperamento effingeret. Siquidem reliquâ corporis ſpecie Græcum eſſet; pedibus, ut Perſarum regnum, inceſſu geſtionéq; inſiſteret; ore inſtar Babylonii facienda ediceret. *Pardus* enim Regni Græcorum, *Urſus* Perſarum, *Leo* Babyloniorum typus eſt.

Primùm igitur Regnum iſtud corpore ſuo planè Græci inſtar eſſet, puta Regnum inſtar illius in plura Regna diviſum, Dan. 7. 6. & 8. 8, 22. Græcum enim quadrifidum, Romanum hoc noviſſimum in decem regna ſecandum erat; cui typo eſt *decem cornuum* geſtamen in capite Beſtię noviſſimo, quæ Angelo poſtea interprete cap. 17. ſunt *decem reges*, ſeu regna, in quæ

que Imperium Romanum ſexti capitis dilaceratum, in novum regnum ſub ſeptimo coaleſceret, MERETRICI bajulandę. Eſse autem *Cornua illa decem* ſolius capitis noviſſimi, id eſt, ſeptimi, neq; ut vulgò putatur, promiſcuè omnium, ſic demonſtro: Florente capite floreſcunt cornua; quo occidente, etiam cornua indè enaſcentia occidere neceſse eſt. In primis igitur quinque capitibus cornua ineſse non poterant, quia quinque illa capita, aiente Angelo cap. 17, jam Joannis ævo abierant, & unà cum capitum vicibus cornuum quoque iiſdem innaſcentium vices abiiſsent; neque in ſexto, quoniam eo, Joannis ævo (ut etiam diſertè affirmat Angelus) regnante, cornuum tamen tempus nondum advenerat. Nam, inquit, *decem cornua ſunt decem Reges qui regnum nondum acceperunt.* Relinquuntur igitur Capiti noviſſimo. Apagite igitur pictores, qui hîc pro libitu decem cornua in ſeptem capita diſtribuitis; aliis ſingula, aliis, pro liberalitate veſtra, bina largientes. quod quàm inconcinnum ſit & omni textûs fundamento procul, imò Angeli interpretationi planè repugnans; nemo, qui jam monitus rem ſecum ſeriò perpenderit, non confitebitur. Pro vero igitur & certo habendum, ſolum caput ſeptimum, in illa capitum ſeſe invicem ſcandentium ſcalâ ſitu ſummum, vice noviſſimum, cornuum geſtamine ſuperbire. Jam igitur pergo reliquam ejuſdem BESTIÆ noviſſimæ effigiem exponere. Ad Cap. 13

Ea verò *Pedibus*, quibus corpus innititur, quibus movetur incedítque, quorúmque anteriores Beſtiis pro manibus brachiíſque ſunt, tractando, rapiendo, pugnando; pedibus, inquam, Perſarum imperium admo-

Ad Cap. 13

admodum refert: cùm, ſicut illi in rebus gerendis Magorum ſuorum conſiliis innitebantur, ità Regnum Romanum ſtatûs noviſſimi, Monachorum Clericorúmque idololatricorum Magis illis ſimillimorum authoritate regitur. Quò illud ſpectat, quod de BESTIA illa altera *Pſeudoprophetica* poſtmodum dicetur, quòd *totam Beſtiæ hujus* DECEMCORNUPETÆ *poteſtatem exerceat in conſpectu ejus.* Pedes enim hîc, non ut infima & indigniora corporis membra, conſiderandi, ſed cujuſmodi ſint in Beſtiis, non tantùm inceſſûs ſed & pugnandi prædandique organa; in quibus & Urſis (de pedibus anterioribus loquor) præcipuum corporis robur ineſt. Neque pedes hîc intelligendi ſunt, ea tantùm pars quæ veſtigium ponit in ſolo, ſed quod cum pede illo minore dicto crura quoque & brachia comprehendit.

Denique BESTIA *Decemcornupeta, Ore* Babylonico, facienda ediceret; ſcilicet Deaſtrorum & Imaginum cultum jubendo, pœnâ mortis & vivicomburii abnuentibus indictâ; perinde ut Nebuchadnezzar ille Judæis, Imaginem auream, quam Belo ſuo erexerat ſexaginta cubitos longam, adorare nolentibus Dan. c. 3. Interim aliorum interpretationi nihil hac meâ præjudicatum velim; eorum nempe, qui ad naturalem potiùs trium harum Beſtiarum indolem reſpiciendum putent; quarum omnium ingenium vel feritatem DECEMCORNUBETA exprimeret. Utatur quiſque judicio ſuo.

Et tradidit ei Draco (dejectus ille qui ſtetit ſuper arenam Maris) *potentiam ſuam* (id eſt, vires ſeu copias ſuas חֵילוֹ vel צְבָאוֹ) *& thronum ſuum & poteſtatem magnam.* Δύναμις

Ad Cap. 12

Δύναμις Helleniſtis *copias* ſive *exercitum* ſignificat, ex uſu, ut videtur, צבא Hebræorum, quo utrumque, tum *robur & virtus*, tum *exercitus* denotatur. LXX Exod. 14.28. de exercitu Pharaonis ſubmerſo: *Operuerunt aquæ* πᾶσαν τὴν δύναμιν Φαραὼ, *omnem exercitum Pharaonis:* & 15.4. τὴν δύναμιν αὐτοῦ ἔρριψεν εἰς θάλασσαν, *exercitum ejus dejecit in Mare:* & ſic paſſim; nec apud eos ſolos, ſed etiam apud profanos ſcriptores. Ab hac notione ſunt, Κύριος δυνάμεων, *Dominus exercituum:* & Matth. 24.29. δυνάμεις τῶν οὐρανῶν σαλευθήσονται, *copiæ ſeu exercitus cæleſtes commovebuntur*: Item ver. proximo, *Filius hominis venturus* dicitur *in nubibus cæli*, μετὰ δυνάμεως, καὶ δόξης πολλῆς· quod capite ſequente exponitur, ἐν τῇ δόξῃ αὐτοῦ, καὶ πάντες οἱ ἅγιοι ἄγγελοι μετ' αὐτοῦ, *in gloria ſua, & cum omnibus ſanctis Angelis ſuis.* Ità hoc loco, *Tradidit Draco* [ſeu Satanas] Bestiæ *decemcornupetæ* τὴν δύναμιν αὐτοῦ, id eſt, *copias ſuas, ſeu exercitum ſuum.* Satanæ autem copiæ ſunt Angeli ejus ſeu Dæmones, & idola Dæmonum receptacula. Has ille copias ſcilicet, Bestiæ *huic noviſſimæ* tradidit excolendas ornandáſque, unà cum *throno ſuo & poteſtate magna:* id eſt, uno verbo poteſtatem illam univerſam, quâ nuper per Michaelem & ſanctos Chriſti Martyres & Confeſſores victus & debellatus exciderat. Ità quidem ut *Draco* ſeu Satanas, in hac *noviſſimi ſtatûs* Bestia, priſtinum ſuum dominium quod in *Ruſa* exercuerat, quodammodo recuperaret; ſed adeò diſſimili à priore ſpecie, ut Mulieris *in Eremo* Semen id minimè ſtatim animadverteret. Non enim jam *Draco* draconis, ut antea, ſpecie ſe ingeſſit, id eſt, ſe eum eſſe qui fuit profeſſus eſt, juratum Chriſtiani nominis hoſtem: Hoc enim

Ad Cap. 13

si feciſſet, ſtatim eum agnoviſſet, ſibíque, tanquam ab hoſte ſæviſſimo, caviſſet *Mulieris Semen*; ex innata videlicet ἀντιπαθείᾳ illa, quam Deus, jam indè ab exordio mundi, inter utrumque fore edixerat: *Ponam*, inquit, *inimicitiam inter te & Mulierem, & inter ſemen tuum & ſemen ejus*. At verò cùm ſe, non *Serpentis*, ſed alterius Beſtiæ nequicquam cognationis cum *Serpente* habentis, formâ induiſſet; haud ità difficile ei fuit, *Mulieris ſemini*, id eſt, Eccleſiæ Chriſtianæ, ob nuperam victoriam lætæ, jámque *Draconis* ſecuræ, imponere, atque ad morem ſibi gerendum allicere. Quod quidem tam tectè & ſubdolè, ſub Beſtiæ ſibi non amatæ larvâ, fecit Veterator: ut non niſi ſerò demum, ſeſe ab antiquo hoſte deceptam, atque ſub hac larva *Draconē* venerari, Eccleſia agnoſceret. Quis enim ſuſpicatus eſſet ſub *Pardalis*, ſeu (quod idem eſt) *Pantheræ* figura latitâſſe *Draconem*; id eſt, ſub ſpecie illius animalis, quod, cùm cæteræ Beſtiæ, ſive cutis pulchritudine, ſive odoris ſuavitate illectæ, accedere & contemplari ament, ſolus penè Draco horrere & fugere dicitur? Vel, ut aliquantò clariùs rem explicem; quis ſub Imperio Religionis Chriſtianæ, idolorum demolitricis, cultum præ ſe ferente, idololatriam nefandam & antiquatum pridem Ethniciſmum, immani ſtudio inſtaurari, legibus & edictis promoveri exiſtimâſſet?

Iſidor. lib. 12. 2. Πύθων dictus, quòd omnium animalium amicus ſit, excepto dracone.

Verſ. 3.

Et vidi unum ex capitibus ejus (ſextum nimirum) *quaſi cæſum fuiſſet ad mortem* (hoc factum in prælio cum Michaele & ſanctis Martyribus) *& plaga lethalis ejus curata fuit*, ſcilicet vicariæ hujuſce poteſtatis pharmaco.

Fuiſſe autem *Draconem* illum *ſepticipitem* (imperium

rium utiq; Romanum ab antiquo ſerpente inſeſſum, id eſt, Ethnicum) *ſexti capitis* BESTIAM; tum ex eo liquere poteſt, quod infrà cap. 17. de capitibus iſtis dicitur, *Quinq;* jam Joannis ævo *cecidiſſe, unum* (quod ſextum eſt) tunc temporis rem Romanam geſſiſſe; tum maximè, quòd BESTIA *hac vicis noviſſimæ* eidem proximè in eodem throno ſucceſſerit. *Draco*, inquam, thronum ſuum hîc ceſſiſſe dicitur BESTIÆ *vicis noviſſimæ* ſeu *capitis ſeptimi*; Ergò proximus ejus Deceſſor fuit, ſeu *penultimi capitis* BESTIA. Nec id quenquam moveat, quod adhuc ſub ſexti capitis vice, *ſepticeps* tamen illîc in Viſione apparuit. Quamvis enim, non ſimul, ſed ordine & deinceps, Capita vices ſuas egerint: tamen BESTIA cum toto capitum & cornuum ſuorum apparatu, ſub quovis ſtatu exhibetur; ut unum idémque Regnum Romanum, aliis licèt atque aliis Dynaſtiarum vicibus, ubique deſignetur. Ad Cap. 13

Sed ad textum redeamus; ubi Editio Complutenſis, ſuffragantibus Irenæo, Areta, Syro Paraphraſte nuper edito, & inter Latinos Primaſio, illud [*Vidi*] non agnoſcit, ſed verba μίαν ἐκ τῶν κεφαλῶν conjungit cum verbo ἔδωκεν, quaſi in hanc ſententiam: *Tradidit ei Draco vires ſuas & thronum ſuum & poteſtatem magnam, & unum ex capitibus ſuis lethali plagâ ſauciatum, ut curaretur.* Suſpicor & vulgatam Latinam olim ſic legiſſe, propter illud [*de capitibus ſuis*] nam alioquin [*de capitibus ejus*] dicturus videretur. Lectio verò hæc, an alteri præferenda ſit, haud temerè affirmârim; illud tantùm, admodum eam antiquam videri, ut mirer non eſſe à R. Stephano annotatam. Sed quicquid ſit, Lectio recepta, ſi rectè & prout

Ad Cap. 13

res ipsa omnino poscit, interpretemur, eundem planè sensum reddet: *Vidi*, inquit, *unum ex capitibus ejus ὡς ἐσφαγμένην εἰς θάνατον*, .i. *quasi cæsum fuisset ad mortem*; nempe, non tunc vidente Apostolo, sed priusquam hac specie ex mari emergeret, ἐσχατουτελικῶς seu sensu plusquam perfecti: Quemadmodum suprà c. 5. 6. se vidisse dixerat *in medio Presbyterorum & Animalium Agnum stantem ὡς ἐσφαγμένον*, .i. *tanquam qui mactatus fuisset*, non ipso tunc vidente mactatum.

Quod autem de plagæ curatione additur, id aut, dum adhuc è mari emergit BESTIA, factum vidit, aut simulac indè emersit. Neque enim (quod à pleriſque tamen hucusque creditum est) sanatio istæc fatum aliquod posterius fuit, sed ipsa nativitas BESTIÆ novissimæ. A reliquorum capitum singulis ad capitis succedentis vicem, absq; plaga transitum fuit; atqui in transitu à sexto ad novissimum, BESTIA lethali vulnere decubuit. à cujus aio sanatione, nec priùs aut citiùs, BESTIAM *Decemcornupetam*, seu *novissimæ vicis*, exordium sumpsisse, neq; altiùs originem suam ducere. Id quod ità esse, tota sequentis narrationis series evincit. Quodcunque enim mali BESTIA patrâsse memoratur, quicquid cultûs & adorationis ei ab incolis terræ tributum, id omne post plagæ istius curationē factum dicitur. *Vidi*, inquit, *unum ex capitibus ejus, quasi cæsum fuisset ad mortem, & plaga mortis ejus*, seu *lethalis, sanata fuit, & admirans universa terra secuta est Bestiam*, nempe jam sanatam, *& adorârunt Draconem, &c.* Tunc quoque *datum est ei os loquens grandia & blasphemias, &c. Et aperuit os suum adversus Deum, &c.* Omnia ista post sanationem facta sunt: ante verò istam

iſtam nulla BESTIÆ prædicantur facinora, nullius ei à gentibus delatę ſubjectionis aut honoris mentio. Quicquid antea commemoratur, partim ad BESTIÆ formam, partim ad ortûs occaſionem modúmque pertinet. Et quorſum, obſecro, Beſtiam Antichriſtianam nobis fingeremus, cujus per aliquod tempus nulla narrentur facta, nulla memoretur perſecutio? Imò, ſi Irenæi & Complutenſem lectionem ſequamur, expuncto *Vidi*, nullus erit ampliùs ejuſcemodi interpretationi locus. Ad CAP. 13

Et admirata eſt univerſa terra poſt Beſtiam.

Id eſt, ſumma approbatione & conſenſu iverunt in partes Beſtiæ.

Et adorârunt Draconem qui dedit poteſtatem Beſtiæ, & adorârunt Beſtiam, dicentes, Quis ſimilis Beſtiæ? quis poterit pugnare cum ea? Verſ. 4.

Hoc eſt, non BESTIAM ſimpliciter adorârunt, quà *Beſtia*, ſed etiam quà *Draconis vicaria*; eóq; non ſolam BESTIAM, ſed ſub Beſtiæ larva *Draconem* quoque ipſum venerati ſunt. Nam BESTIAM, niſi quà *Draconis* vicem agebat Idololatra, adorare, quo ſenſu hîc dicitur, non magis impium fuiſſet, quàm cujvis poteſtati mundanæ morem gerere. Scilicet *Beſtia* regnum denotat. *Beſtiam* autem *adorare*, ex Hebraiſmi & Orientis uſu, nihil aliud eſt, quàm eidem ſubjici. quod non obſcurè oſtendit ἐξέγνως illa *Adorandi* verbo ſubjuncta: *Adorârunt*, inquit, *Beſtiam, dicentes, Quis ſimilis Beſtiæ? quis potis eſt pugnare cum ea?* Quaſi dixerit, in BESTIÆ ſeſe obſequium ſponte dederunt, tanquam quæ poteſtate ſuperârit adeò, ut nemo ei reſiſtendo eſſet aut belligerando. Quo eodem ſenſu v. 12. Terra ipſa, non modò in-

Ad CAP. 13 colæ ejus, BESTIAM *adorâsse* dicitur, id est, in ditionem ejus concessisse. Καὶ ἐπόιοι, inquit, τὴν γὴν, καὶ τοὺς ἐν αὐτῇ κατοικοῦντας, ἵνα προσκυνήσωσι &c. Ità in benedictione Jacobi, Gen. 27. 29. *Serviant tibi populi*, καὶ προσκυνησάτωσάν σοι, *adorent te nationes: esto Dominus fratribus tuis*, καὶ προσκυνήσουσί σοι, *& adorent te Filii matris tuæ.* De hac porrò notione τοῦ προσκυνεῖν, vide Gen. 37. 7. &. 49. 8. in benedictione Judæ, item Isai. 45. 14. At verò BESTIÆ juxta constitutionem suam religiosam subjici, qua *Draconem septicipitem* referat, id verò in Deum blasphemum est & impium. Unde qui sic Bestiam adorant, Bestiam adorando Draconem adorare dicuntur.

Vers. 5. *Datúmque est ei os loquens grandia & blasphemias, & data est ei potestas faciendi menses quadraginta duos.*

Hactenus de constitutione & statu BESTIÆ. deinceps exponitur, quibus demum rebus commissam sibi a *Dracone* potestatem exeruit; scilicet duabus; blasphemiâ in Deum, & persecutione Sanctorum. Tota autem descriptio petita est ex prophetia Danielis cap. 7. ubi de eadem agitur, qua hîc, Bestiâ Romanâ statûs novissimi. Sed quæ ibi Danieli ab Angelo succinctiùs narrantur, ea hîc Joanni, interjectâ quasi explicatione, fusiùs diducuntnr.

Datum est ei, inquit, *os loquens grandia. Os loquens grandia*, Danielis est; sed hîc verba illa grandia explicantur per *blasphemias*: quo nomine cultum idololatricum designari, rem utpote summæ in Deum contumeliæ, mox dicetur. Porrò ait, *Bestiam sic blasphematuram menses* XLII, annales scilicet; eodem prorsus temporis spatio, quo Atrium templi exterius

us ſive Civitatem ſanctam conculcarent Gentes. Ad Cap. 13
Nec immeritò; cùm illa Gentium prophanatio in eandem omnino impietatem collineet cum iſtac Bestiæ blaſphemia; utraque *poteſtatis tenebrarum & noctis* rem deſignet, ideóq, non *annis* aut *diebus*, ad motum Solis, ſed *menſibus*, ad motum Lunę quę prę-eſt nocti, menſuratam. Et ſanè, niſi Sp. S. temporis deſignationem ad *blaſphemiam* referri voluiſſet: quorſum eam hoc loco, ſtatim poſt mentionem *blaſphemiæ*, inſerüit? Non igitur ab initio truculentiæ aut belli contra Sanctos, ſed blaſphemiæ, numerandi ſunt Bestiæ Menſes. Ut ſi verbum *Faciendi* certum aliquem poteſtatis Beſtiæ actum ſtatúmve ſignificaret (cujuſmodi quid *Agendi* ſeu *Faciendi* poteſtatem hîc vocari, nonnulli autument) id omnino ad blaſphemandi actum referendum eſſet. Sed videtur potiùs τὸ ποιῆσαι *durandi* ſeu *permanendi* ſignificatione adhiberi, ut aliàs ſolet cum vocabulis temporis. Sic enim Act. 15. 33. ποιήσαντες δὲ χρόνον, *facto aliquanto tempore*: & 18. 23. ποιήσας χρόνον τινά, *cùm egiſſet aliquod tempus*, ſeu aliquandiu: & 20. 3. ποιήσας τε μῆνας τρεῖς, *cùm feciſſet menſes tres*. 2. Cor. 11. 25. νυχθήμερον ἐν τῷ βυθῷ πεποίηκα, *noctem ac diem in profundo egi*. Adde Jacob. 4. 13. *Hodie vel cras ibimus in illam civitatem, & ποιήσομεν ἐκεῖ ἐνιαυτὸν ἕνα, & faciemus ibi annum unum*. Ubi Druſius annotat, ſic עשׂה uſurpari, Eccleſ. 6. 14. & *facere* in Latio. Seneca Epiſt. 67. *Quamvìs pauciſſimos unà fecerimus dies*. In tabella marmorea; *Cum qua fecit annos* VIIII. Apud Alfenum l. c. *Is ſervus fugerat & annum in fuga fecerat*, id eſt, egerat, manſerat, finierat, tranſegerat. His ità ſe habentibus, quidni, Bestia *fecit menſes quadra-*

Ad CAP. 13

quadraginta duos, sit, vixit totidem, mansit, blasphemando peregit? Cujus locutionis vim qui non intellexerunt, illud βλαμμον, quod in quibusdam exemplaribus extat, textui inseruisse videntur.

Jam quod dixi, hîc nomine *blasphemiæ*, quasi per excellentiam, idololatriam seu scortationem spiritualem designari: id duplici aut etiam triplici argumento evinci potest. Primò quòd BABYLON, BESTIÆ hujus Metropolis, *Mater scortorum* audiat, cum eáque *scortari* dicantur *reges & incolæ terræ*. Atqui BESTIA, qua de agimus, nihil aliud est, quàm Regum istorum & incolarum universitas. Secundò ejusmodi blasphemiam esse oportet, quæ in proximè antecedentis, imò omnium reliquorum capitum vices competat; omnibus enim indita fuerunt *nomina blasphemiæ*, ver. 1. Adde quòd BESTIA *istæc vicis novissimæ* ex impietatis Decessoris sui vicis sextæ redintegratione nata & conflata est. Quæ autem istis omnibus communis dari potest blasphemia præter unam idololatriam? Omninò nulla.

Accedit usus Scripturæ, idololatriam veteris populi hoc nomine exprimentis. Quod ut intelligatur, sciendum, tria in Hebræo esse verba ab interpretibus Græcis & vulgatâ Latinâ *blasphemiæ* notione reddita, חֵרֵף גִּדֵּף & נָאַץ. quorum nullo non idololatriam signatam leges.

Verbo יְהֵרֵף Ezech. 20. 27. *Adhuc & in hoc blasphemaverunt me Patres vestri, cùm induxissem eos in terram, super quam levavi manum meam ut darem eis. Viderunt omnem collem excelsum & omne lignum nemorosum, & immolaverunt ibi victimas suas, &c.*

Verbo חרף, Isaiæ 65. 7. *Qui sacrificaverunt super mon-*

montes & ſuper colles חֵרְפוֹנִי *probro affecerunt me.* Noſtrates, **blaſphemed me.** Et certè חֵרֶף ad unguem reſpondet Græco βλασφημῶν, ut Theodotion tranſtulit Prov. 14. 13. nam utrumque ſignificat, *contumeliâ ſeu probro afficere.* Unde 2. Reg. 19. 22. cum נֶגֶף jungitur tanquam ſynonymum, ut & Pſalm. 44. 16. Septuag. utrumq; reddere ſolent per ὀνειδίζω παροξύνω· utrumque etiam Chaldæus per ſuum חרם. Porrò (ut hoc quoque addam) non Iſaiæ ſolùm, ſed & citerioris ævi Judęis uſitatum fuiſſe, *probri* ſeu *blaſphemiæ* nomenclaturâ idolorum cultum intelligere, vel ex Hagiographorum Paraphraſte colligi poteſt: ubi Pſal. 69. 10. pro verbis illis, *Opprobrium exprobrantium tibi cecidit ſuper me,* Chaldæus habet, *Vituperia impiorum qui vituperant te, dum participia faciunt idola ſua gloriæ tuæ, ceciderunt ſuper me.* Ad Cap. 13

Supereſt de verbo נָאַץ, quod è duobus alterum eſt cui apud LXX reſpondet βλασφημῶν. Forſtero eſt, *Contumeliis, convitiis, verbis maledicis inceſſere.* Hieronymus in Pſalmis juxta veritatem Hebraicam, quoties occurrit (occurrit autem quinquies) ſemper transfert *blaſphemare.* aliis eſt *contemnere*, aut *contemptim irritare*; adeò ut veriſſima ſignificatio ejus eſſe videatur, *probris & contumeliis provocare ad iram.* Hoc, inquam, verbo perinde idololatriam deſignari ac prioribus, liquere poteſt ex Deut. 31. 20. *Cùm comederint*, inquit, & *ſaturati fuerint, avertentur ad Deos alienos & ſervient eis* וְנָאֲצוּנִי *detrahéntque mihi.* ſic quidem hoc loco Vulgata, ſenſu blaſphemandi, licèt non voce. Nam quid aliud eſt, *Deo detrahere*, quàm eundem *blaſphemare?* Sed alibi vocem quoque exprimit, ut Jer. 23. 15, 17. *A Prophetis*

Ad CAP. 13

phetis Jerusalem egressa est pollutio super omnem terram. Dicunt למאיז *his qui blasphemant me* (de Idololatris autem sermo est) *Locutus est Dominus, Pax erit vobis & omni qui ambulat in pravitate cordis sui.*

Istis, si placet, addi possunt, nempe illustrandi causâ, quòd Antiochi profanationes quibus Templum Dei & sacra ejus polluerat, appellentur βλασφημία, 1. Mac. 2. 6. & 2. Mac. 8. 4. Item quòd Kimchius haud dissimili notione illud Gen. 4. 26. *Tunc profanatum fuit invocando Nomen Domini*, interpretetur, *Tunc errârunt homines post idola, & invocatio nominis divini fuit polluta & profanata.* Quàm verò rectè non inquiro; sic tamen vertit & accepit.

Hinc apud Doctores Scholasticos, tres sunt blasphemiæ species: Una, cùm attribuitur Deo quod ei non convenit: Altera, cùm ab eo removetur quod ei convenit: Tertia, cùm attribuitur creaturæ quod Deo appropriatur, ut in idololatria. Nam sicut uxor adultera probro afficit maritum, ità Ecclesia idolis se prostituens, Deum; cùm sit idololatria spirituale adulterium.

Vers. 6.

Et aperuit os suum ad blasphemiam adversus Deum, ut blasphemaret nomen ejus, & tabernaculum ejus, & eos qui in cœlo habitant.

Quod antea in genere de blasphemia dixerat, hîc speciatim exequitur, triplicémque BESTIÆ idololatriam distinguit. Primò enim *Nomen Dei* blasphemat; scilicet in cultu imaginum, *Incommunicabile Nomen lignis & lapidibus imponendo*, Sap. 14. 21. vel *Nomen Dei*, i. personam (fas sit sic loqui) quod tunc fit, cùm quicquam præter ipsum Deum divino honore colitur. Secundò, *Tabernaculum ejus*, i. humanam Christi

Ad Cap. 13

Christi naturam in qua Deitas σωματικῶς habitat. Ὁ δὲ λόγος σὰρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, Joan. 1. 14. Et apud eundem, 2. 19. *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Locutus est autem*, inquit Evangelista, *de Templo corporis sui.* Annon etiam huc spectat illud, [*manufacto perfectius multò Tabernaculum*:] Heb. 9. 11. Hoc, inquam, Tabernaculum blasphemat BESTIA, dum Christi corpus ex pane à Transubstantiatore sacrificulo quotidie factum credit, eóque Panem pro Christo Tabernaculo Dei adorat; imò in sacrificium propitiatorium pro vivis & mortuis oblatum suspicit, quasi de integro Christum crucifigens. Etiam *cælites* blasphemat, id est, Angelos & sanctos Cœlicolas, dum eorum nominibus vocat quos colit Dæmones & idola. Quantum hoc in beatos Spiritus convitium est? imò in Christum etiam Dominum ipsorum contumelia? in cujus prærogativæ & gloriæ diminutionem, vel inviti, mediatores & interpretes apud Deum, patroni & præsides mortalium Ethnico ritu constituantur. Vidè quæ ex Gentilium Theologia de Dæmonibus eorúmque officiis scripsimus ad finem Tubæ sextæ. Neque hoc solo contenta BESTIA, insuper contumeliosis & improbis fabulis & miraculis beatos Spiritus dehonestat; ut dubites, cultúne, quem se iisdem exhibere videri vult, an fabularum contumeliis peccet magis.

Hactenus de blasphemia, sequitur de altera parte impietatis BESTIÆ, quâ se *Draconis* illius *rufi* vicariam ostenderet, persecutione Sanctorum.

Vers. 7.

Nam insuper *datum est ei*, inquit, *bellum facere cum Sanctis & eos vincere.*

Ad Cap. 13

Daniel ſic: *Faciebat bellum cum Sanctis & prævalebat eis.* Cum *Sanctis* autem? id eſt, cum *Semine* quod *Mulieri* in Eremo obvenerat. Jam licèt tota Bestiæ dominatio quoddam ſit contra Sanctos bellum, (juxta quod initio dicebatur, *abiiſſe Draconem iratum, ut* ſub Beſtiæ hujuſce larva *bellum faceret cum reliquis de ſemine Mulieris cuſtodientibus mandata Dei & habentibus teſtimonium Jeſu*) tamen aliuſmodi bellum hîc intelligitur; ut apparet v. 10. ubi de talione aliquando Bestiæ reddenda dicitur, *Si quis in captivitatem agit, &c. ſi quis gladio occiderit, oportet cum gladio occidi.* Bellum idcirco eſt quod cæde & ſanguine geritur. Adde quòd in Bestiæ, non *Eccleſiaſticæ*, ſed *Secularis* deſcriptione adhuc verſamur, in quam alterius generis bellum per ſe vix competat.

Bellum autem iſtoc non ſtatim ab initio ſuo geſſit Bestia, ſed poſtquam jam ad ἀκμὴν ſuam pervenerat, currente ſeculo à Chriſto nato duodecimo. Prima ejus expeditio incubuit in Albigenſes & Waldenſes, & ſi quo alio nomine tunc appellati ſint veri Chriſti cultores. quorum tanta ſtrages edita fuit, ut per Galliam ſolam, ſi P. Perionius in ejus belli hiſtoria rectè calculum inierit, occiſa ſint ad decies centena hominum millia. Non enim vivicomburiis tantummodo, bonorum jacturis, exiliis, aliiſque id genus ſuppliciis graſſatum fuit; ſed, nè quid tam immani perſecutioni ad juſtum Belli nomen deeſſet, integri exercitus adverſus eos conſcripti, & Cruciatis illis expeditionibus contra Saracenos primitus inſtitutis, jam in caſtæ puræque religionis Chriſtianos qui Bestiam adorare abnuerant converſis, ad annos circiter ſeptuaginta furore & immani-

immanitate incredibili ſævitum. Hujus lanienæ hiſtoriæ præſtò ſunt, ad quas Lectorem remitto. Lubet tamen Thuani, clariſſimi, ſed aliarum partium, hiſtorici verba aſcribere: *Contra Valdenſes* (inquit, Præfat. hiſt. ſui temp.) *cùm exquiſita ſupplicia parùm proficerent, & remedio quod intempeſtivè adhibitum fuerat, malum exacerbaretur, numerúſque eorum indies creſceret, juſti tandem exercitus conſcripti ſunt; nec minoris molis bellum, quàm quod antè noſtri adverſus Saracenos geſſerant, contra eos decretum eſt; cujus is exitus fuit, ut potiùs cæſi, fugati, bonis & dignitatibus ubique ſpoliati, atque huc illuc diſſipati ſint, quàm erroris convicti reſipuerint. Itaque qui armis ſe initio tutati fuerant, poſtremò armis victi in Provinciam apud nos, & Gallicæ ditionis Alpes vicinas confugerunt, latebráſque vitæ & doctrinæ ſuæ iis in locis repererunt: pars in Calabriam conceſſit, atque in ea diu, atque adeò uſque ad* PII *IIII. Pontificatum ſe continuit: pars in Germaniam tranſiit, atque apud Boemos, in Polonia & Livonia larem fixit: alii ad Occidentem verſi in Britannia perfugium habuerunt.*

Ad Cap. 13

In hoc verò bello illud quoque memoratu dignum accidit, quòd ipſi Albigenſes à Simone Monfortio Cruce ſignatorum duce magnâ cladè aliquando ad Morellum victi, hanc de Sanctis à Beſtia vincendis prophetiam in argumentum ſolatii & conſtantiæ arripuiſſe viſi ſint. Nam cùm * Epiſcopus Toloſanus ſtragi intercedens, eos qui adhuc reſidui in tentoriis fortè manſerant, miſſo quodam Religioſo, admoneret, ut tanto quaſi Dei irati & contra eos pronunciantis flagello convicti, jam tandem feritate depoſitâ, ad fidem quam vocant catholicam conver-

* Ex Epiſt. Prælatorũ Galliæ qui Cruceſignatorum caſtra tum ſecuti ſunt, ad calcem Continuationis Belli ſacri. Edit. Baſil. ann. 1560. pag. 240.

Ad Cap. 13

terentur: illi verò, SE POPULUM CHRISTI VICTUM retorquentes, hoc quasi clypeo, tentationis impetum frustrati sunt, atque ad unum omnes à recurrentium militum manu interfecti, fortiter occubuerunt.

Post hoc in Waldenses & Albigenses bellum, adversus tum alias atque alias ipsorum, aliisque in locis, reliquias, tum cæteros ubicunque terrarum ejusdem castæ religionis socios, variis modis sævitum fuit: donec tandem nihilominus post annum 1500 integra regna, principatus, respublicæ, reformatis Ecclesiis, à BESTIÆ ditione in partes *Sanctorum* secesserint. Contra quos deinceps bellum geritur, hodiéque durat, nec finietur donec BESTIA in exitium ierit.

Jam si quis totam lanienæ hujus seriem, annis paulò ampliùs quadringentis & quinquaginta comprehensam, animo diligenter metiatur, numerúmq; occisorum ad calculos revocet: aut fallor, aut BESTIÆ persecutionem decem illas Ethnicas (cùm *Draco* proprio adhuc nomine rerum potiretur) non modò æquâsse, sed & superâsse mirabitur. Albigensium & Waldensium cęsorum numerum DECIES CENTENIS hominum MILLIBUS æstimatum jam antea monuimus. Exinde ad Ecclesiæ Reformationem, partim flammis, partim gladio, partim aliis cruciatibus absumptorum, nemo calculum inivit, cùm tamen numerum haud exiguum fuisse notum sit. Ab origine Jesuitarum ad annum 1580, hoc est, paulò pluribus quàm 30 annis, Orthodoxorum NONGENTA ferè MILLIA fuisse trucidata, notat Balduinus de Antichristo. In Belgio solo, ídque manu

Cap. 6. n. 41.

manu ſolùm carnificis, ſævus ille Pugil Romanæ Sedis Dux Albanus, ad 36 animarum millia, ſe authore, intra paucos annos ſublata gloriatus* eſt. Teſtatur* Vergerius, qui optimè novit, Inquiſitionem, ut vocant, hæreticæ pravitatis, vix triginta annorum ſpatio, CENTUM QUINQUAGINTA Chriſtianorum MILL. diverſis afflictationũ generibus conſumpſiſſe. Fatetur* Sanderus infinitos Lolhardos & Sacramentarios in tota Europa ignibus traditos fuiſſe; quos tamen ait ille, non à Papa & Epiſcopis, ſed à politicis Magiſtratibus neci datos fuiſſe: nimirum ſic juxta prophetiam rem geri oportuit. nam de *ſeculari* BESTIA dicitur, quòd Sanctis bellum faceret, eósque vinceret, & de *decem regibus*, cap. 17. eos AGNO & *electis* & *fidelibus ejus* bellum illaturos; De BESTIA verò *Eccleſiaſtica*, non quidem ipſam gladio occidere, ſed *facere ut quicunque Imaginem Beſtiæ non adoraverint, ab ipſa Imagine gladio occidantur*, ut paulò pòſt videbimus. Sequitur,

Et data eſt ei poteſtas in omnem tribum, linguam, & gentem.

Quæ autem hæc poteſtas? num debellandi Sanctos? quaſi ea ſeſe extenderet, quàm latè pateat Ditio Romana. nam fortè non de dominii, ſed perſecutionis amplitudine ſermo eſt. Sin quis alterum malit, ſenſus erit, Tantam fore BESTIÆ authoritatem, ut nulla tribus, lingua, aut gens impietati ejus refragaretur. Non autem de ſingularibus hîc intelligi vult (quippe quorum multi omni ſeculo reperti ſunt, qui Agno fidem ſervârint) ſed de integris tribubus, linguis, & gentibus, id eſt, politiis hominum; quarum, veriſſimum eſt, nullam repertam eſſe, quam non

Ad CAP. 13

*Fran. Jun. & Tilenus ad Bellar. lib. 3. de Pont. Rom. cap. 7.

*Dounam de Antich. pag. 450.

*De viſibili Monarch. lib. 8. dem. 34.

Ad Cap. 13 non BESTIA in impietatis ſuæ obſequium flexam per multa ſecula detinuerat: adeò ut qui hîc illîc per BESTIÆ provincias diſperſi degerent veri nominis Chriſtiani, ſoli per id temporis Eccleſiam illibatam atque Virgineam conſtituerent, ut quæ nullam profeſſionis ſuæ civitatem, rempublicam, nedum principatum aut regnum (proh dolor!) habuerit. Hîc autem animo tenendum, BESTIÆ formam eſſe impietatem illam *Draconi* ſuccenturiatam; cujus utiq; communione plura illa, ut diximus, ditionis Romanæ Regna in unam Beſtiam coaleſcunt. Hanc igitur qui ſuſceperint, in poteſtatem BESTIÆ concedere dicuntur. quod fecerunt omnes tribus, linguæ & gentes.

Verſ. 8. &c. *Et adorabunt eam omnes incolæ terræ, quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ Agni illius mactati ab origine mundi. 9. Si quis habet aurem, audiat.*

Nè quis autem tam univerſali & catholico in BESTIÆ leges conſenſu faſcinatus, id piè rectéq; fieri, ſibíq; abſq; periculo, tot gentium, nationum, populorúmque exemplum ſequendum eſſe præſumat; aut etiam perſecutionis atrocitate fractus & debilitatus, fidem Agno datam violet, ínque BESTIÆ cultum concedat: Spiritus Sanct. quo loco & numero apud Deum ſint, qui huic monſtro impietatis morigeros ſeſe exhibuerint, elogio planè metuendo denunciat: Eos nempe in AGNI *illius occiſi* matricula non haberi, ſed regni Dei exortes æternùm perituros.

Admonitioni iſti formidoloſæ ſubjungitur Apoſtrophe attentioni movendæ: *Si quis*, inquit, *habet aurem*,

aurem, audiat: quaſi dicat, Eho, pii Chriſticolæ, advertite aures, imiſque animis recondite quod de infelici adeò Beſtiiſequarum ſorte modò profatum eſt; neque enim parvi momenti res eſt, quinimo talis in qua cardo ſalutis veſtræ vertitur. Ità nempe verba iſta ad ſuperiora referri debent, non ad ſequentia; pari modo quo eadem in Epiſtolis ad Eccleſias haud ſemel referri perſpicuum eſt. Vide cap. 2. ver. ult. cap. 3. verſ. 6, 13, 22. Ad Cap. 13

Si quis in captivitatem agit, in captivitatem abit. Si quis gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. Verſ. 10.

Epiphonema conſolatorium piorum, in quos Beſtia parere ſibi recuſantes, bello, carceribus, & ſuppliciis immaniſſimis graſſaretur: Futurum nempe aliquando, ut Deus, juſtus ſuorum vindex, tot lanienarum, tantarum crudelitatum pœnas repoſcat, atque Belluæ rabioſæ talionem retribuat.

Atque *hîc eſt*, inquit, *tolerantia & fides Sanctorum.* Id eſt, Sancti hac ſuperni numinis æquitate, rebúſque humanis ordinandis juſtitiâ freti, ad ea quæ paſſuri ſint, minimè conturbentur, aut animis concidant; ſed animoſè Beſtiæ contranitentes vindictam à Deo certò & cumulatè eventuram firmiter & patienter expectent.

Atque hactenus de Beſtia *ſeculari* actum; jam ad alterius Beſtiæ à ſe viſę deſcriptionem progreditur Apoſtolus, Beſtiæ nimirum *Eccleſiaſticæ*, ſeu mavis *Pſeudoprophæticæ*, quæ prioris Beſtiæ ejúſq; blaſphemiarum præfecturam gerit.

Ad Cap. 13

DE BESTIA ALTERA BICORNI sive Pseudopropheta.

BESTIA *bicornis* sive *Pseudopropheta*, PONTIFEX est Romanus cum suo clero; cornua quidem habens instar AGNI, cujus se potestatis ligandi & solvendi, in terris Vicarium jactat, sed loquens idololatrias & Sanctorum lanienas ut *Draco*. Hæc enim BESTIA BESTIÆ illius *Decemcornupetæ*, Draconi à tyrannide & blasphemiis sub Christianæ professionis larva succenturiatæ, author fuit & conditor. Cujus proinde, ut potestate, Hierarchæ munere, fungitur; ità quoque Pontifex ipse ejusdem, non minùs quàm Cleri sui (quòcum seorsim BESTIAM *Pseudopropheticam* constituit) sese Caput & Monarcham gerit, septimum illud noviſſimúmq; Rei Romanæ caput in URBE *septicolli* exhibens. Qui nempe signis & miraculis, quæ ei cum Clero suo facere aut fingere datum est; excommunicationis præsertim tanquam cœlestis vindictæ fulmine, eò sensim Reges, ex dissipato Cæsarum Imperio nuper in Orbe Romano natos, induxit; ut sibi, cassæque jam alioquin imperio Romæ, colla unanimiter submittentes, priſtini, jámque demoliti Imperii Ethnici IMAGINEM induerent. Id quod ei tam commodè processit, ut non tantùm BESTIA illa Romana capite Cæsareo sauciata, in IMAGINE ista planè revixerit, sed & IMAGO ipsa ad PSEUDOPROPHETÆ nutum, in quoscunque formæ suæ reclamantes incidisset, gladio seculari animadverteret, perinde ut PSEUDOPROPHETA, spirituali.

Et

Et vidi, inquit, *aliam Beſtiam aſcendentem de terra, & habebat duo cornua ſimilia Agni, ſed loquebatur ut Draco.*

Ad Cap. 13 Verſ. 11.

Vidit aliam Beſtiam, *Pſeudopropheticam* nempe, ſeu *Pſeudoeccleſiaſticam*, quam conſtituit, ut diximus, PONTIFEX Romanus cum ſuo Clero. PONTIFEX enim per ſe & ſolus, ut *Pſeudopropheta* dici poſſit, *Beſtiam* tamen non efficit, niſi adſcito ſuo Clero; quum Beſtia cœtum hominum quodam membrorum ordine inſtar animalis gaudentem denotet; non ſingulârem hominem. Vidit autem *aſcendentem de terra:* id eſt, non, ut prior illa, ex *mari* ſeu Orbis ditionibus, nobiliori ſcilicet origine, prognatam; ſed ex ima rerum conditione editam: vel potiùs, non exercituum populorúmve bello decertantium conflugę, ut SECULARIS illa, genitam; ſed tacitè & ſine ſtrepitu, inſtar herbarum & ſtirpium de terra naſcentium, ſuccreſcentem. *Mare* enim, ut quamvis populorum in unam ditionem conflugem, ità in bello exercitum ſignificat. *Et habebat duo cornua ſimilia* AGNI. id eſt, poteſtatem illam bipartitam ligandi & ſolvendi, Petro cæteríſque Apoſtolis à Chriſto delegatam, atque eatenus quidem ipſius AGNI ſimilem, quatenus dixit, *Sicut me miſit Pater, ità & ego mitto vos.* Hanc quidem poteſtatem BESTIA præ ſe fert, ſéque in ea Chriſti vicariam agere: ſed *loquitur ut Draco*, *Draco* verò *rufus*, quem Michael paulò antè deturbaverat atque Imperio Romano exuerat: dum quidem, ut ille, Deaſtrorum & idolorum cultui authoritate & decretis ſuis patrocinatur, paríque modo veros & caſtos AGNI *illius mactati* cultores perſecutionibus & lanienis exterminari facit.

Ad Cap. 13 Vers. 12. *Nam poteſtatem prioris Beſtiæ omnem exequitur in conſpectu ejus.*

Poteſtatem *Draconis* fiduciariam illam, priori Bestiæ concreditam, inq; idololatrico cultu ſitam, exequitur Bestia *bicornis*, tanquam Hierarcha, cujus eſt obeundis ſacris præeſſe. *In conſpectu autem Beſtiæ*, idem eſt ac apud ipſum ſive in gratiam ejus; quaſi dicat, Bestia hæc *Bicornis* Bestiæ *decemcornupetæ* à ſacris eſt, ut mirum videri non debeat, ſi loquatur ut *Draco*. Ità enim Hebræorum לִפְנֵי cui ἐνώπιον reſpondet, nonnunquam æquipollet dativo perſonę cui aliquid acquiritur vel in cujus gratiam fit; ut pro eo quod 1. Sam. 2. 18. dicitur, *Erat Samuel* λειτουργῶν ἐνώπιον τῷ Κυρίῳ, eſt cap. 3. 1. λειτουργῶν τῷ Κυρίῳ. Speciatim verò Pontifex R. hujus Bestiæ caput, illius quoque Bestiæ ſupremum regimen exercet.

Adhæc facit, ut terra, & habitantes in ea adorent Beſtiam primam, cujus plaga mortifera curata eſt.

Id eſt, Quicquid omnino eſt Bestia illa prior, quicquid obſequii à gentibus impietati ejus delatum eſt, id omne Hierarchæ huic tanquam parenti acceptum refert: cujus nimirum operâ effectum ſit, ut terra & incolę ejus adorarent Bestiam illam *primam*, quæ plagâ mortiferâ ſanatâ è Mari emerſerat. Id quâ ratione, quibus mediis machiniſve effectum dedit, id particulatim ἐν τοῖς ἑξῆς exponit.

Vers. 13. *Etenim*, inquit, *facit ſigna magna, adeò ut etiam ignem faciat è cœlo deſcendere in terram in conſpectu hominum.*

Vers. 14. *Et ſeducit incolas terræ propter ſigna quæ datum ei facere in conſpectu Beſtiæ, dicens incolis terræ, ut faci-*

faciant Imaginem Beſtiæ quæ gladio vulnerata fuit. Et revixit. Ad Cap. 13

Etenim facit, καὶ ποιεῖ. *Vau* enim Hebræorum & indè καὶ in Scriptura, Conjunctio eſt, non tantùm *copulativa*, ſed & *disjunctiva*, *rationalis*, *cauſalis*, *ordinativa*, *explanativa*, prout ſenſûs ratio exigit. id quod ſemel monuiſſe ſufficiat. Jam ad rem. BESTIA *Pſeudoprophetica* ſeu *Pontificia*, author fuit gentibus BESTIÆ illius *decemcornupetæ* quâ *Draconis* poteſtas revixit, conſtituendæ. Signis enim & miraculis iiſdem perſuaſit, ut ſecum in *Imaginem* Beſtiæ ſexto capite mactatæ fabricandam conſentirent. Quâ demum ad nutum ejus efformatâ, Plaga illa ſtatu *Draconis* accepta, novâ idololatriâ & tyrannide ad priorum ſimilitudinem introductis, curari, *Beſtiáq. Draconicola* renovari viſa eſt. nam BESTIA *Romana capitis noviſſimi eſt* IMAGO Beſtiæ ſexto capite mactatæ. *Dixit*, inquit, *incolis terræ, ut facerent imaginem Beſtiæ quæ habebat plagam gladii:* id eſt, imaginem ejus eâ quâ fuit conditione cùm accipiebat plagam. Καὶ ἔζησε, id eſt, atq; ità demum BESTIA revixit ſeu redintegrata fuit. Verba enim iſta non pertinent ad deſcriptionem Beſtiæ cùjus erat imago exprimenda, quaſi verba loquentis Pſeudoprophetæ; ſed ſunt Angeli eventum conſilii iſtius referentis ſive ſubjicientis; nempe ſic Beſtiam illam cæſam revixiſſe. Eſtque acſi plenè diceretur hoc modo: Λέγων τοῖς κατοικοῦσιν ἐπὶ τῆς γῆς, ποιῆσαι εἰκόνα τῷ θηρίῳ ὃ ἔσχε τὴν πληγὴν τῆς μαχαίρας [ὃς δὲ ἐποίησαν αὐτῷ] καὶ ἔζησε. *Dicens incolis terræ ut faciant Imaginem Beſtiæ quæ habebat plagam gladii;* [*illi verò fecerunt ità*] *& revixit.* Ut 2. Reg. 20. 7. Dixit Iſaias, *Tollite maſſam ficuum; & tulerunt & poſue-*

Ad Cap. 13 *runt super ulcus*, וַיָּחִי ἠΐζησε. *Et convaluit*, scilicet Ezechias vel ulcus.

Nimirum hoc illud est quod in BESTIÆ *illius secularis* descriptione dicebatur, *tradidisse ei Draconem copias suas & potestatem magnam*, eóque plagam illius lethalem convaluisse; id est, impressisse Draconem cultûs & potestatis suæ formam Bestiæ religionis alienæ, dum Angelos suos seu Dæmones, non quidem ut olim, iis titulis quibus se Christi Domini nostri hostes profitebantur, sed sub tegmine religionis Christianæ, Sanctorum & Angelorum bonorum, imò & Christi ipsius (vah blasphemiam!) nominibus supposuit colendos. Nam idola qui colit, quocunque nomine vocet, colit dæmonia.

Imò, nè quid ad plenam *Bestiæ cæsæ*, id est, *Draconis* imaginem deesset; quod Imperatores *Draconicolæ* quidam fecerant, ipse quoque PONTIFEX sibi deferri curavit, honores scilicet divinos & authoritatem Deo peculiarem: adeò ut *in Templo Dei tanquam Deus sedeat, præ se ferens se esse Deum*, ut Paulus inquit. Quod etsi Joannes, seu Angelus ipsi BESTIÆ historiam pandens, hîc speciatim non attingit; tamen generali *Imaginis* nomine, tanquam similitudinis istius partem quâ *Bestia cæsa* refertur, comprehensam voluit.

Atque hactenus de *Imagine* fabricanda; jam de signis ad suasionem ejus adhibitis. *Facit*, inquit, *Signa magna, adeò ut etiam ignem faciat è cælo descendere in terram*. Haud invitus hîc irem in sententiam Graseri, si modò illa ex Hebræorum scriptis confirmari posset; hoc de *Ignis deductione de cælo* hyperbolê proverbiali dictum esse, εἰς αὔξησιν ejus quod præcessit:

Ad Cap. 13

ſit: acſi dictum eſſet, Facit ſigna magna, imò talia ac tanta, ut vel ab ipſius Eliæ miraculis, quibus veri Dei cultum aſſeruit, haud longè abeſſe videantur. *Judæi enim vulgò*, inquit Graſerus, *iſti Eliæ miraculo tantum tribuunt, ut proverbialiter illud de omnibus ſtupendis factis, in quibus nempe Dei dignitas elucet, uſurpent.*

Sed cui hoc non placuerit, is lectionem Complutenſem, aliis quoque exemplaribus teſtatam, ſequatur, [ποιεῖ σημεῖα μεγάλα ἵνα καὶ πῦρ ποιῇ καταβαίνειν, *facit ſigna magna & ut ignis è cœlo deſcendat in terram*] atque adeò, tanquam eorum quæ deinceps fuſiùs exponuntur ſumma, hiſce verbis proponeretur; de duplici mediorum genere interpretatum eat, quibus PSEUDOPROPHETA uſurus eſſet, ut Orbis Chriſtiani incolas induceret ad *Imaginem* BESTIÆ ſexto ſuo capite *cæſæ* refingendam; miraculorum ſcilicet apparatu, & Excommunicationis fulmine. quorum altero, gentium animos in errorem pelliceret; altero, immorigerorum contumaciam & ſuperbiam frangeret. Etenim de horum utriſq; quorſumq; ſpectarent, in ſequentibus ordine agitur. De ſignis quidem, verbis iſtis: *Et ſeducit incolas terræ per ſigna quæ datum eſt ei facere, dicens incolis terræ ut faciant* IMAGINEM *Beſtiæ quæ gladio vulnerata fuit*; & quæ ſequuntur ad v. 16. De Excõmunicatione verò, iſtis: *Facit ut omnes accipiant characterem in manu dextra, aut in frontibus ſuis, & ut nè quis poſſit emere aut vendere, niſi qui habuerit characterẽ aut nomen* BESTIÆ, *aut numerum nominis ejus.* Locutio Synecdochica, quâ, ex interdicto aliorum commercio, Anathematis Eccleſiaſtici cenſura innuitur. Nec ea ſanè inconcinnè

igni

Ad CAP. 13

igni cæleſti ſeu fulmini aſſimilatur. Quid enim eſt, obſecro, in Dei nomine, æterno illi igni quempiam addicere, quàm ignem cœlo devocare? præſertim cùm impiorum illa à Deo profectura pœna *lacu ignis & ſulphuris*, ſeu Aſphaltite, ubi Sodoma & Gomorrha igne cœlitùs depluto conflagrârunt, ſemel iterúmque in hoc libro figuretur. Imò conflagrationem iſtam docet Apoſtolus Petrus 2. Ep. c. 2. 6. *conſtituiſſe Deum* ὑπόδειγμα μελλόντων ἀσεβεῖν, id eſt, per ellipſim prioris ſubſtantivi in Hebraiſmo uſitatam, ὑπόδειγμα κολάσεως μελλόντων ἀσεβεῖν, *exemplar pœnæ eorum qui impiè victuri ſunt:* Et Judas hîc Petri mentem clariùs efferens, πυρὸς αἰωνίου δίκην ὑπέχειν, id eſt, *ignis æterni ſimilitudinem ſeu typum ſuſtinere*, ſeu *ignis æterni pœnam exhibere.* Ità enim, vel in ſenſum aliquem ſimilem, Judæ verba interpretanda eſſe, utriuſq; Apoſtoli verborum invicem collatio & rei ipſius ingenium attento Lectori perſuadebunt.

Quâ occaſione, & illud quoque addere mihi liceat; propterea memorabile admodum fuiſſe, & triſte Judæis jam à Deo rejectis omen, quod in ipſo initio fatalis iſtius Belli iis accidiſſe narret Joſephus, clade ad trajectum Jordanis è regione Jerichuntis acceptâ: Nempe cùm alii ab hoſte in flumen projicerentur, alii vim eorum non ſuſtinentes, ſponte eò deſilirent, Lacum ASPHALTITEM prono flumine devolutis cadaveribus oppletum fuiſſe. quo caſu, inquit, plaga licèt per ſe graviſſima, Judæis tamen ſeipsâ major viſa fuit.

De Bello Jud. lib. 3. cap. 2. ſecundum Rufini diſtinctionem.

Sed eventum Vaticinii quod attinet; De *Signis* quidem res notiſſima eſt, univerſam, quæ in Beſtiæ regno jam à duodecim plùs minùs ſeculis obtinuit, idolo-

idololatriam, tum primogenitam illam in Sanctorum demortuorum, reliquiarum & Angelorum cultu ſitam, tum proximum natu cultum imaginum, denique noviſſimam illam Dei panacei blaſphemiam, denſo *Signorum* agmine, curationibus putà & viſionibus miraculoſis, coercitionibus ſpecie tenus dæmonum, aliiſq; non unius generis mirandis effectibus, infelicibus Chriſtianis primò quaſi commendatam, deinde perſuaſam & confirmatam eſſe. Quæ quidem omnia BESTIA *bicornis*, ſeu PONTIFEX *Romanus cum ſatellitio ſuo Pſeudoprophetico*, feciſſe dicitur; quatenus vel ipſi confinxerunt, vel ab aliis conficta, authoritate ſuâ approbârunt, vel quæ malorum dæmonum revera operationes & præſtigiæ fuerint, pro veris & divinis miraculis Orbi Chriſtiano ſeducendo obtruſerunt. Scilicet hoc illud ipſum eſt, quod Apoſtolus Paulus ad Theſſalonicenſes prædixit, *Adventum hominis peccati fore ſecundum efficaciam Satanæ, cum omni potentia & ſignis, ac prodigiis mendacibus, & cum omni ſeductione injuſtitiæ.* Ad Cap. 13

Fulminis verò ſeu anathematis Pontificii exempla, quo ille ſuam in decernendo jubendóque authoritatem vindicavit, ea quidem adeò cuivis ſunt obvia, ut meo ex annalibus Eccleſiæ huc convehendi labori omnino parci poſſit. Unum commemorare lubitum eſt admodum inſigne, & quod *Imaginem*, de qua fabricanda agitur, tam propè attingat, ut vel ſolum ad prophetię hujus veritatem aſtruendam poſſit ſufficere.

Nempe in controverſia illa Iconomachica apud Græcos, anno circiter 720 exortâ, atque per annos

Ad Cap. 13

120 ingenti fervore & idololatrarum persecutione agitata, dici vix potest, in quantum discrimen *Imago* illa Draconis cæsi, tunc adhuc rudis & imperfecta, nec ultimam artificis manum consecuta, adducta fuerit. Nec enim in illa controversia, ut vulgò creditur, Imaginum solarum cultus, sed & Sanctorum demortuorum & reliquiarum strenuè oppugnabatur. *Leo Isauricus* (inquit Theophanes hist. Miscel. lib. 21. cap. 23.) *non solùm circa venerabilium affectivam imaginum adorationem errabat impius* [σχετικὴν τῶν σεπτῶν εἰκόνων προσκύνησιν] *sed & circa intercessiones castissimæ Dei genitricis, omniúmque Sanctorum, quorum & reliquias scelestissimus, ut magistri ejus Arabes* (id est, Muhammedani) *abominabatur*. Idem de Constantino, quem per contumeliam Idolorum patroni Copronymum vocârunt, ibid. cap. ult. *Hic*, inquit, *perniciocissimus & agrestis, ferus, &c. primò quidem à Deo & intemerata matre ipsius ac omnibus Sanctis abscedit.* Ità pium Imperatorem blasphemat Græculus idololatra. Iterum lib. 22. c. 42. *Ubique intercessiones sanctæ Virginis & Dei genitricis ac omnium Sanctorum, in scriptis, ut inutiles, ac sine scripto repellebat, per quas nobis emanat omne suffragium, sanctas eorum reliquias ejiciens & invisas reddens: sicubique insignis cujusquam audiebatur, ad animarum sanitatem & corporum rejacere, vel sicut moris est, à piè agentibus honorari, mox ergò mortem adversus hujusmodi, tanquam impiè agentes, minabatur: sin autem; proscriptiones, exilia, tormenta: Deo autem gratissimum lipsanum, utpote quidam thesaurus possessoribus habitus, auferebatur, invisum de cætero efficiendum.* Videat quoque Lector cap. 54. Idem cap. 48. *Sicubi quisquam corruens vel dolens*

Ejus enim à libro 17 est historia Miscella dicta, quæ ab Anastasio Biblioth. è Græco versa, falsò Pauli Diaconi nomine circumfertur. Floruit sub Nicep. & Leone Armeno. Vide Baron. Ann. 719. 20. & 813. 8, 9, 10

dolens ſolitam Chriſtianorum vocem emitteret, dicens, DEI GENITRIX JUVA, *aut vigilias agens deprehenderetur, &c.* —*ut inimicus Imperatoris damnabatur, &* IMMEMORABILIS *nominabatur.* Imò adhuc ſub Theophilo, quinque Imperatorum Iconomachorum ultimo, Sanctorum cultum oppugnatum, apparet ex Hymno illo Theodori, quo Eccleſia Conſtantinopolitana victricis tandem Idololatriæ memoriam quotannis (proh ſcelus & dolor!) recolere ſolebat. Ibi namque Ode 8. habetur: Τὰ ἱερὰ τῶν ἁγίων λείψανα, καὶ τὰς εἰκόνας αὐτῶν, Λήζιξ ὁ λῃστὴς ἅμα τῷ Ἰωάννῃ, ὑβρίζων ὅλως προσκυνεῖσθαι, ἔφασκον ἀνόμως, οἱ ἀρνησταὶ τῆς εὐσεβείας· id eſt, *Sacras Sanctorum reliquias, & ipſorum imagines Lezius ille ferus, unà cum Joanne* (hic fuit Patriarcha Conſtantinopolitanus ſub Theophilo) *nullo pacto venerandas, impiè aſſerebant, pietatis deſertores.*

Ad CAP. 13

Apud Baron. anno 842. 28.

Quid igitur hîc PONTIFEX *Romanus?* Succurrit IMAGINI *Beſtianæ,* immane quantum, de fractione periclitanti: & cùm literis & minis nihil proficeret, ad fulmineas artes ſe convertit. Leonem Iſaurum Iconomachorum anteſignanum anathemate percutit, ſubditos in Italia ab obedientiæ juramento abſolvit, Exarchatu Ravennate & reliquâ eò loci ditione, quantum quidem in ipſo erat, privavit. Quo facto, ut idololatricæ in Oriente factioni animos addidit, ità Reges Occidentis tempeſtivè abſterruit, nè quid ſimile conarentur. Eodem fulmine Albigenſes, eorúmque defenſores, receptores afflandos ſanxit & verò afflavit Synodus Lateranenſis

Ad Cap. 13

sis 280 Episcoporum sub Alexandro III. Idem quoque fulmen Concilium Lateranense magnum sub Innocentio devocandum cernit, *in Dominos temporales qui requisiti & moniti ab Ecclesia terras suas ab iisdem purgare neglexerint*; nempe, ut *per Metropolitanos & cæteros comprovinciales Episcopos excõmunicationis vinculo innodentur, & si satisfacere contempserint, per Pontificem Rom. vasalli eorum à fidelitate sua denuncientur absoluti, & terræ eorum exponantur Catholicis occupandæ.*

Tom. 4. Concil. Edit. Rom. ann. 1612. pag 44, 45.

Vers. 15.

Datúmque est ei dare spiritum Imagini Bestiæ, ut & loquatur Imago Bestiæ, & faciat, ut quicunque non adoraverint Imaginem Bestiæ, occidantur.

Ni vitali facultate prædita fuisset Imago, non ejus effictione Bestia cæsa revixisset. Neque enim Bestia draconicola, quam referre debuit, Bestia iners fuit; sed quæ strenuè admodum sese movere, & in quosvis genio suo contrarios impetum facere solebat. Ejusmodi igitur imaginem eam esse oportuit, in qua denuo reviviscere. Proinde Pseudoprophetæ datum dicitur, non solùm ut populum Christianum ad *Imaginem* ipsius, in Bestia vicis novissimæ, fabricandam pelliceret; sed ut ipse vitam eidem largiretur, quâ & edictis pari modo juberet, quę ad dignitatem suam tuendam opus essent, tum in inobsequentes & constitutioni ipsius religiosæ subesse detrectantes, gladio, seu nece seculari, animadverteret. Et sanè totam illam potestatem, quam habet Imago, seu *Bestia secularis idololatrica*, in Sanctos sæviendi, eam non nisi à Bestia *Pseudoprophetica* sibi traditam exercet. Ità enim res geritur, ut quos Bestia *Pseudoprophetica* hæreseos (ut vocant) seu

Imagi-

Imaginis violatæ condemnaverit, eos demum BESTIÆ *seculari* poteſtatem facit occidendi. cujuſmodi ſcilicet à ſeſe nullam habet, niſi ab Eccleſiaſtico judicio pendentem. Atq; hæc eſt illa quam vocant *Traditionem poteſtati ſeculari*, in hiſtoriis carnificinæ Beſtianæ nullibi non obviam. BESTIA ſcilicet *Pſeudoprophetica*, ut quidem videri vult, non occidit ipſa, ſed tamen ſententiâ ſuâ damnatos, *Seculari* tanquam Carnifici tradit occidendos. Ad Cap. 13

Et facit ut omnes parvi & magni, divites & pauperes, liberi & ſervi (id eſt, cujuſcunq; ſint ordinis, ſtatûs & conditionis) *accipiant characterem in manu ſua dextra, aut in frontibus ſuis. Et nè quis poſſit emere aut vendere, niſi qui habeat characterem aut nomen Beſtiæ aut numerum nominis ejus.* Verſ. 16. Verſ. 17.

Quid ſibi velit *emendi & vendendi* interdictum (ut προδίτυπον incipiam) jam antè oſtendi; nempe Papalem Excommunicationem notari, in quam qui incidunt, reliquorum civium conſuetudine & commercio arcentur. Ità Canon iſte Concilii Lateranenſis ſub Alexandro, cujus paulò antè mentio facta, contra Waldenſes & Albigenſes editus, ſub anathemate prohibet ſignanter, *Nè quis eos in domo vel in terra ſua tenere, vel fovere, vel* NEGOTIATIONEM *cum iis exercere præſumat.* Et Synodus Turonenſis in Gallia ſub eodem, ſimili interminatione prohibet, *Nè ubi cogniti fuerint illius* (ut vocant) *hæreſeos ſectatores, receptaculum quiſquam eis in terra ſua præbere, aut præſidium impertiri præſumat; ſed nec in* VENDITIONE *&* EMPTIONE *aliqua cum iis communio habeatur.* Et quid? nónne hîc quoque loquitur Pseudo- Tom. 4. Concil. Edit. Rom. pag. 37. Apud Rev. Armachan. de ſucceſſione Eccleſiæ. p. 239.

Ad CAP. 13

DOPROPHETA *ut Draco?* Draco enim Diocletianus ſimile edictum edidit, Nè quis quidquam Chriſtianis venderet aut ſubminiſtraret, niſi priùs thura Diis adoleviſſent. de quo in Hymno Juliani martyris ità canit Beda:

Non illis emendi quidquam,
Aut vendendi copia:
Nec ipſam haurire aquam
Dabatur licentia,
Antequam thurificarent
Deteſtandis idolis.

Hanc autem locutionem ſynecdochicam propterea fortaſſe Spiritus San. adhibuit, ut innueret, anathema illud Papale, licèt ſeſe abſciſſione ab interna & inviſibili Chriſti communione venditet, revera tamen ultra vim non habere, quàm ut ab externo & viſibili aliorum civium commercio excludat.

Jam quod de *Charactere* dicitur; *Character Beſtiæ* non eſt propriè niſi *Nominis*; ideo dicitur *Character ſeu Nomen Beſtiæ*, & capite ſequente *Character nominis ejus*. Nempe alluſum eſt ad morem veterem, quo Servi Dominorum, milites Imperatoris ſui nominibus (atque illi quidem præcipuè in fronte, iſti in manibus) inſcribi ſolebant. Itaque pari ratione AGNI quoque Satellitium capite ſequenti, quod ſatellitio BESTIÆ ἀντιστοιχεῖ, *Agni & Patris nominibus in fronte ſcribuntur*; eodem utrobique typi ſenſu, ad indicandum cujus Domini ſit, cuíque militet uterque Cœtus; illos *Beſtiæ & Imaginis ejus*, hoſce *Chriſti & Patris ejus* ſeſe ſervos profiteri.

Numerum quod attinet, is *Nominis* ſeu *Characteris Beſtiæ* appendix potiùs cenſenda eſt, quàm Character;

cter; & quidem revera, non tam Nominis Beſtiæ, quàm Beſtiæ ipſius Numerus eſt; quomodo etiam ſtatim vocatur. *Numerus* autem *Nominis* ideo tantùm dicitur, quòd *Nominis Beſtiæ* literis in numeros relatis, Deo ità diſponente, contineatur. Neque tamen ſequitur, quia cum *Nomine Numerus* tam intimè cohæreat, ideo *Numerum Beſtiæ*, cum *Nomine* confundendum eſſe: Exigit enim ἀντιστοιχία ratio, ut, quamadmodum in Agni Cœtu Character Nominis à Cœtûs Numero diſtinguitur, ità quoque in Cœtu Beſtiano fiat. Adde, quòd diverſæ omnino rei ſunt, ſignificationis, inquam, *Character nominis* atque *Numerus*, ſi ad aliorum locorum analogiam interpretationem dirigamus. Alter enim, *Character Nominis*, cui Domino ſeſe addixerint qui geſtant; Alter, putà *Numerus*, quâ proſapiâ undéque genus ſuum deducant, qui eodem inſigniuntur, oſtendit. ut numerus *duodenarius*, éxque *duodenario* multiplicando factus, tam in *Cœtu Virgineo*, quàm in ſtructura & dimenſionibus *Novæ Hieruſalem* emicans, Apoſtolici generis atque indolis ſymbolum eſt.

Ad Cap. 13

Sed nè diutiùs in generalibus iſtis immoremur: videamus tandem, quodnam ſit illud Beſtiæ NOMEN, quo *Numerus* quoque ejuſdem à Spiritu S. notatus contineatur. Eſt vero, quod jam tum cùm Apocalypſis adhuc recèns ſcripta eſſet, nonnulli ſuſpicati ſunt, decantatum illud ΛΑΤΕΙΝΟΣ. Hoc enim nomine, poſt imperii diviſionem & decem Reges in provinciis ejus exortos, neque priùs, Pſeudopropheta Romanus cum reliquis Occidentis incolis diſcriminis ergô appellatus eſt; ídque ab illis ipſis, quibus Apocalypſis ſcripta eſt, ſeptem Aſiæ Eccleſiis.

Ad Cap. 13

Ecclesiis. Namque Græci & reliqui Orientales, penes quos in dilaceratione illa Imperii nomen manserat, seipsos solos *Romanos* dici voluere; nos cum Pontifice nostro & sub eo Episcopis, Regibus, Dynastis, fatali quodam instinctu LATINOS dixere. Atque hoc ipsum Nomen, literis suis Græcorum & Hebræorum more subductis, numerum conficit à Spiritu S. notatum, numerum autem mysticum; quo indicatur, cujus prosapiæ sit BESTIA, quámque falsò sese chori Apostolici successorem venditet, cùm sit revera Draconis.

Numerus enim NOMINIS *Bestiæ* est *666*. Quem si ex duodenario, Apostolici generis Symbolo, deducere satagas, frustra laborabis: nunquam enim indè, quomodocunq; multiplicaveris, *666* efficies: At verò è *Senario*, qui DRACONIS illius *rufi*, putà BESTIÆ *sexti capitis*, numerus est, facillimè; cùm ex *Senariis* totus, quantus quantus est, conflatus sit, monadum, decadum, hecatontadum; quasi *Draconis* illius sperma totum BESTIÆ hujus *novissimæ* corpus omnésque artus ejus pervasisset.

Vers. 18.

Hîc est sapientia (inquit Spiritus.) *qui intelligentiam habet, computet Numerum Bestiæ. numerus enim hominis est; & Numerus ejus 666.*

Quem quidem omnino, ad eum quem dixi modum computari debere, videor mihi colligere ex Cœtûs *Virginei* analogia; cujus Numerus 144. contrà quàm Bestiæ, totus Apostolicus est, ex duodenario in seipsum multiplicato genitus. Contrariorum autem contraria est ratio. Atque ibi quidem utrunque, tam *Nomen inscriptum*, quàm inscripti Cœtûs *numerum*

rum Spiritus Sanctus expreſſit; hîc verò *Nomen* ex *Numero* conjiciendum reliquit. Ad Cap. 13

Eſt igitur, ut rem in pauca conferam, *Nominis* Bestiæ *characterem accipere*, ejus poteſtati ſe addicere, & Dominum confiteri; *Numerum* verò, impietatem ejus, *Draconis* traducem, idololatriam nempe Latinam, amplecti. Unde illud fortè conſideratione non indignum erit: Licèt nemo poteſt *Nominis Beſtiani* characterem accipere, ſeu ejus poteſtati ſubditus eſſe, quin ſimul quoq; *Numerum* ejus accipere, hoc eſt, impietati communicare neceſſe habuerit: poſſe tamen fieri, ut quis *Numerum* ſeu impietatem *Beſtiæ* admittat, *characterem* verò ſeu *Nomen* reſpuat. Id quod in Græcos jamdiu competit, qui utut eandem impietatis formam *Draconis* traducem ſeu idololatriam *Latinam* amplectantur, eámq; primitus Pontificis *Latini*, Imaginem *Draconis cæſi* illîc quoque erigi adlaborantis, auſpiciis in Concilio iſto altero Niceno apud ſe confirmatam: Pontifici tamen Latino ſubeſſe, ſeu *Nomen* ejus ut olim (antequam ſchiſmate facto ſeceſſerint) geſtare jam à ſeptingentis annis recuſant.

DE
COETU VIRGINEO CXLIIII M
Signatorum Agni.

COETUS *virgineus* Agni *Sionei* ſatellitium, idémq; ſelectum illud Iſraelis ex Gentibus ſurrogati Agmen, de quo ad initium Sigilli ſe-

Ad Cap. 14 timi, (geminâ namque Visione, ut ibi monuimus, Prophetiæ SIGILLORUM cum ΒΙΒΛΑΡΙΔΙΟΥ connectendæ causâ, describitur) significat Ecclesiam, in medio illo Christiani nominis Orbe Bestiam assectantium, AGNO fidelem, súbque BABYLONE *Virginem:* germanam illam nec degenerem duodecim Apostolorum Apostolicè multiplicatam progeniem, solam utique, ad exemplum Chori cœlestis, AGNUM PATREMque, cantu Evangelico, castè ritéque celebrare edoctam. quod nemo Bestianorum malo suo fato addiscere potuit. Adhuc populum, non uni alicui, ut Bestiani, sedi addictum, sed AGNUM comitantem quocunq; gentium ierit. Bestiæ cultores denique, de cultûs Evangelici præscripto, Deíque in Idololatras patefacta severitate, sæpius & acriter commonefacientem; tandémq; omnibus, ni in æternum perire velint, ut ab ejus commercio quantocyùs se súbducerent, denunciantem. Hæc Visionis summa est. jam textum ad ejus normam elucidemus.

Vers. 1. *Et vidi, & ecce* AGNUS *stabat supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia.*

Ex numero 144, seu duodecies duodecim millium apparet, eundem hîc Cœtum describi, qui ad septimi Sigilli ingressum signabatur; nimirum legitimam illam, nec degenerem Apostolorum sobolem, numerum hunc duodenarium tanquam generis sui insigne gerentem. Recolat Lector quæ illíc notavimus.

Mons Sion autem solium fuit Regni Davidici, idémq; *Civitas Davidis* dicta, quòd eum ille Jebusæis ereptum extus mœnibus novis, intus arce regiâ,

giâ, vicis, plateísque conſtruxerat. Ergò hîc parabolicè adhibitus, illum terrarum locum deſignabit, quem Chriſtus, debellato DRACONE, Regni ſeu Eccleſiæ ſuæ domicilium fecerat, id eſt, Chriſtiani nominis Orbem. In hoc Orbe Eccleſia Virginea manſionem habet, inibíque AGNO fidem & pudicitiam illibatam etiamnum ſervat, quum omnia ſtupris ac cædibus Beſtia contaminâſſe, peſſundâſſe, nihílque integrum aut intactum reliquiſſe videretur. Ad Cap. 14

Habentes nomen Agni, & nomen Patris ejus ſcriptum in frontibus ſuis.

Malè è quibuſdam exemplaribus excidit illud, *nomen Agni*, quod agnoſcunt Vulgata, Primaſius, Andreas, Aretas, Editio Complutenſis, Syrus Interpres; ut eam veram lectionem eſſe, non ſit dubitandum. quin, ut ità legatur, rem ipſam poſtulare, in progreſſu interpretationis clarè patebit. Alluditur enim (ut in Beſtiæ quoque hiſtoriâ notavimus) ad ritum priſcum, quo tam Servi Dominorum, quàm Milites Imperatoris ſui nomine aut ſtigmate olim inſcripti cernebantur; atque ſervi quidem præcipuè in frontibus (teſte Rhodigino lib. 5. 33.) milites verò in manibus. Vegetius lib. 2. 5. *Victuris in cute punctis milites ſcripti, & matriculis inſerti jurare ſolent.* Ætius autem l. 8. 12. *Stigmata vocant quæ in facie, aut alia parte corporis inſcribuntur, qualia ſunt* MILITUM *in manibus.* De militum verò inſcriptione pleniùs nos inſtruet Lipſius, lib. 1. de Milit. Rom. dialog. 9. *Sub principibus*, inquit, *tirones jam captos compungebant, & in cute ſignabant* [Romani.] *vera hæc ſtigmata erant & manibus militum impreſſa. Erant in-*

Ad Cap. 14

ſcripti nomine Imperatoris. hinc Auguſtinus regium characterem vocat, & Chryſoſtomus σφραγίδα. Petitum hoc vel ab eo quod olim nomen Imperatoris in ſcutis, haſtis, vexillis inſcribi ſolitum, atque eo exemplo in cute; vel à ſacris: Quos enim Deo conſecrabant vel initiabant, hos ſtigmatibus inurebant. Ad rem igitur. Illi nomen *Agni & Patris ejus* in frontibus ſuis gerunt, qui fidem quâ ſe Agno, ceu Imperatori & Domino, & Patri ejus in Baptiſmo mancipârunt, non frangunt, neque ad Satanæ ejúſque Angelorum cultum pompáſque, quæ ſemel ejurârunt, relabuntur. Ità enim antiquitus (ut illud ad pleniorem dicendorum lucem hoc loco inſeram) Abrenunciationis in Baptiſmo formula in pleriſq; Eccleſiis *concipiebatur: Ἀποτάσσομαι τῷ Σατανᾷ, καὶ πᾶσι τοῖς ἔργοις αὐτοῦ, καὶ ταῖς πομπαῖς αὐτοῦ, καὶ πάσῃ τῇ λατρείᾳ αὐτοῦ, Renuncio Satanæ & omnibus operibus ejus, & pompis ejus, & omni cultui ejus.* In multis, iiſq; antiquiſſimis Liturgiis additum, * καὶ τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ, *& Angelis ejus.* In aliis, * *Et omnibus inventis ejus, & omnibus qui ſub ipſo ſunt.* In aliis eodem ſenſu, * *Et mundo ejus.* Quæ omnia ſtylo Apocalyptico expeditè efferre licet: Ἀποτάσσομαι τῷ Δράκοντι, καὶ πάσῃ τῇ δυνάμει αὐτοῦ, *Renuncio Draconi & omnibus copiis ejus*, id eſt, ut Cyrillus * Alexandrinus Baptiſmi formulam explicat: *Dæmoniorum turbis valedico, omnem pompam eorum & cultum reſpuo.* Romana Eccleſia hîc aliis paulò contractior fuit. Sola enim apud eam *Satanæ, pomparum & operum ejus* mentio. ubi ſub *Satanæ*, tanquam Principis, nomine, Angelos quoque ejus; *pomparum & operum*, cultum idololatricum omnémque apparatum ejus intelligit.

* Vid. Conſtit. Apoſt. lib. 7. c. 42. Cyril. Hieroſ. Catech. myſtagog. 1 Chryſoſt. Hom. 21. ad popul. Antioch.
* Conſtit. Apoſtol. ibidem.
* Tertul. de Spectac. cap. 4. Ambr. Hexam. lib. 1. cap. 4.
* Author Conſtit. Apoſt. ibid.
* Ambr. de iis qui myſter. initiant. c. 2. Hieron. ad cap. 5. Mat.
* Lib. 7. contr. Jul.

Eſſe

Ad CAP. 14

Eſſe jam Baptiſmi Sacramentum, utpote quo fidem Agno & Patri ſolenniter profitemur, quóque nomen eorum ſuſcipimus & Chriſtiani dicimur, Dominicum Signaculum, paſſim Patres, ídq; à prima Eccleſiæ antiquitate, prædicant. Hinc illud Origenis, * *Immortale* LAVACRUM *portemus in frontibus noſtris. cùm Dæmones viderint contremiſcent.* Auguſtinus, * etiam *regium characterẽ* vocat, *characterem Imperatoris, characterem Redemptoris.* Iidem porrò ſignaculum hoc idololatriâ & ſuperſtitione induci & quaſi obliterari docent. Tertullianus de Spectac. cap. 4. de Baptiſmo ſub *Signaculi* nomine agens: *Cùm*, inquit, *aquam ingreſſi, Chriſtianam fidem in legis ſuæ verba profitemur; renunciâſſe nos* DIABOLO, *&* POMPÆ, *&* ANGELIS EJUS *ore noſtro conteſtamur. Quid erit ſummum ac præcipuum in quo Diabolus & pompa & Angeli ejus cenſeantur, quàm Idololatria?* & cap. 24. *Nonne ejeramus & reſcindimus* SIGNACULUM, *reſcindendo teſtationem ejus?* Ejuſdem generis eſt & illud lib. de Idololat. cap. 19. *Non convenit ſigno Chriſti & ſigno Diaboli.* Similiter Auguſt. Tract. 7. in Joan. *Perdidit ſignum Chriſti, accepit ſignũ Diaboli. Non vult Chriſtus communionem, ſolus vult poſſidere quod emit.* Cum iſtis facit Iſidor. Origin. lib. 18. cap. 59. de Spectaculorum execratione: *Deum negat qui talia præſumit, & fidei Chriſtianæ prævaricator effectus eſt, qui id denuo appetit, cui in lavacro jampridem renunciavit, id eſt, Diabolo, pompis & operibus ejus.*

* Hom. 8. in diverſos Evangelii locos.

* In Joann. tract. 6. Secundi contra Petilianum ultimo. Primi contra Creſconium 30. & alibi. Vide quoque eum 6. de Baptiſ. cap. 1. Epiſt 23. 50. 200.

Omnes igitur qui BESTIÆ characterem acceperint, Chriſti & Patris abnegârunt, ejerârunt, irritum fecerunt, ac pro eo habentur acſi nunquam accepiſ-

Ad Cap. 14. ſent. Soli centum iſti & quadraginta quatuor mille, qui ad BESTIÆ caſtra non transfugerant, ſed Agno firmiter adhærebant, *Characterem Dominicum* etiamnum in frontibus ſuis oſtendunt.

Unum adhuc monendum reſtat; nempe illud, Quòd licèt *Signati* utrobique, tam hîc quàm cap. 7, iidem ſint; tamen ſignaculi rationem non utrobique eandem eſſe; ídque ex diverſo ſignandi fine. Illîc enim tutelæ res agebatur; hîc ſervitii & fidelitatis. Sed nec opus eſt, ut propterea aliud ibi ſignaculum quæramus à Baptiſmi Sacramento planè diverſum. nam utrumque præſtat Baptiſmus. Siquidem, præter illud quod eſt profeſſionis noſtræ, Deus aliud, gratiæ nimirum ſuæ ſignaculum ſuperaddit, quo pro ſuis agnoſcit qui tinguntur, ínq; tutelam ſuam ſuſcipit. De hoc igitur in priori Signatorum Viſione, de illo in præſenti, ni fallor, agitur. Atque huic ſententiæ favet, quòd Clemens Alexandrinus apud Euſebium lib. 3. cap. 17. Baptiſma nuncupet τέλειον φυλακτήριον, *perfectam cuſtodiam:* Item quod Nazianzenus Orat. in ſanctum Baptiſma, idem *Sigillum* dici, ὡς συνέχοντα, *quia conſervatio eſt:* Denique illud Baſilii Exhortat. ad Baptiſmum: *Niſi ſignatus ſit ſuper te vultus Domini, niſi characterem in te agnoſcat Angelus, quomodo pro te pugnabit, aut ab inimicis vindicabit?* ubi Nicetas Scholiaſtes, *Quia per eum conſignati, cujuſnam Domini ſimus, agnoſcimur, atque ab inſidiis tuti conſervamur.* Jam pergamus ad reliqua.

Verſ. 2. *Et audivi vocem de cœlo, tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitrui magni: & vox quam audivi, erat ſicut citharœdorum citharizantium citharis ſuis.*

3 *Et cantabant quasi canticum novum ante thronum, & ante quatuor Animalia, & Presbyteros, &c* Ad Cap. 14

Vocem verò indicat & canticum Angelorum cœlestium, Patrem & Agnum glorificantium; quomodo feciſſe leguntur, cùm primùm Agnus Librum fatorum reſignandum ſuſcepiſſet. Ad hos Angelos utique reſpiciens, mox verſu 6 dicit, *Et vidi alium Angelum volantem in medio cœli*, id eſt, alium à præcentoribus iſtis. Nullius enim ante hunc Angeli meminiſſet, niſi dicamus, ſymphoniacos iſtos Angelorum chorum fuiſſe. Cap. 5. 11.

Vox autem aquarum multarum, & tonitrui inſtar, non ſignificat aliud, quàm vocem numeroſæ & confertæ multitudinis; cujuſmodi in Templo, dum adhuc florebat, audiri ſoleret, cantorum Levitarum, voce & inſtrumentis muſicis Dei laudes reſonantium. quorum præ multitudine, ſimul & acclamantis populi, ſonitus reddebatur, quaſi marinorum fluctuum & fragoris tonitrualis. Non conjectura eſt, ſed res manifeſta; quippe quod in epinicio cap. 19. ubi eadem eſt parabola, diſertè exprimitur. *Audivi*, inquit, *quaſi vocem turbæ multæ* (audi, *turbæ multæ*) *& ſicut vocem aquarum multarum, & ſicut vocem tonitruorum magnorum, dicentium, Halleluia.* Hinc apud Ezechiel. cap. 43. 2. ubi in Hebræo ſimpliciter eſt, *Vox ejus* (i. Dei Iſraelis) *quaſi vox aquarum multarum*, Septuag. paraphraſticè reddunt, φωνὴ τῆς παρεμβολῆς ὡς φωνὴ διπλασιαζόντων πολλῶν, *Vox caſtrorum ejus, quaſi vox geminantium multorum.* Chaldæus ſimiliter, *Vox benedicentium nomen ejus, ſicut vox aquarum multarum.* Adde illud ex eodem Propheta de Cherubinis cap. 1. *Audivi*, inquit, *vocem alarum eorum,*

cinquan-

Ad Cap. 14 *tanquam vocem aquarum multarum, tanquam vocem omnipotentis, vocem loquelæ, tanquam vocem cæstrorum.* Denique ab hac notione est, quod in descriptione

Dan. 10. 6. personæ Filii Dei, exordio Apocalypseos ex Daniele expressâ; pro quo apud Danielem est, *Vox multitudinis*, à Joanne substituitur, *Vox aquarum multarum.* Quod enim Daniel habet, *Pedes ejus quasi species æris candentis, & vox verborum ejus sicut vox multitudinis:* id Joannes enuntiat, *Pedes ejus similes aurichalco, sicut in camino ardenti, & vox ejus tanquam vox aquarum multarum.*

Canticum porrò *novum* est, cujusmodi post Christum mundo exhibitum Deo canitur. quo nempe Sessori Throni & Agno, unà solísque, redemptio, potentia, divitiæ, sapientia, fortitudo, honor, gloria, & benedictio religiosè & evangelicè deferuntur. Hujus cantici formula extat cap. 5, ídque titulo *cantici novi:* ut eò hîc respici vix dubitandum sit, quum nusquam in hoc libro alibi cantici novi mentio audiatur. *Dignus est*, inquiunt, AGNUS *qui occisus fuit* (id est, prout antè à Presbyteris & Animalibus paulò explicatiùs dicitur, propterea quòd occisus fuit) *accipere potentiam, divitias, sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Sedenti* igitur *super thronum &* AGNO *sit benedictio & honor, & gloria & robur in secula seculorum, Amen.* Hæc novi cantici formula est, quam si Deus aliquando penitiùs intelligere dederit, latiùs fortasse explicando diducam. altiùs enim in animo meo insedit, universum cultûs Evangelici mysterium eo contineri.

Quod appositi rationem attinet, *Novum* dici videtur,

detur, vel quaſi alterum & diverſum ab eo quod Chriſto nondum miſſo canebatur (ſub hoc enim, ſecundum effatum illud Apoſtoli, *Vetera tranſierunt, & ecce facta ſunt omnia nova*;) vel ob novum in adventu ejus beneficium, priorum mundi ætatum nulli, ſed temporibus tantùm noviſſimis conceſſum. de quo verò beneficio Deus exinde, tam ab Angelis, quàm hominibus δοξολογεῖται. Et huic quidem nominis rationi firmandæ erit, tum illud Iſaiæ cap. 42. 9, 10. *Nova ego annuntio, cantate Domino canticum novum:* tum quæ in Pſalmis occurrit aliquoties cantici novi appellatio, haud aliter, ut videtur, intelligenda, quàm aut de eo quo divinum numen ob novum aliquod, liberationis præſertim, beneficium celebratur (juxta illud Pſal. 40. *Eduxit me de luto cœnoſo, &c. & indidit ori meo canticum novum*) aut ſaltem quod, ad iſtiuſmodi canticorum morem, cum lætitia & jucunditate haud vulgari canitur. quorum utrunq; cantico Evangelico convenire, haud eſt cur multis oſtendere conarer. res in aperto eſt.

Ad Cap. 14

2. Cor. 5 17.

Et nemo poterat diſcere Canticum illud, niſi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti ſunt de terra.

In toto Orbe Chriſtiano nemo, quamdiu Beſtia rerum potiretur, canticum Angelorum cantare ſciret, præter eos qui de numero centum iſtorum quadraginta quatuor millium Agni aſſeclarum fuerint: Siquidem hi ſoli, citra omnem idololatriæ labem, Patrem & Agnum glorificant in terris, ſicuti beati Angeli in cœlis; idipſum nimirum, quod in Oratione Dominica Eccleſia ab omnibus ut fiat, Patrem indeſinenter rogat; *Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, ſic*

Ad Cap. 14

etiam in terra. adeò divinum numen legitimè ritéq; colendi idea exemplúmve absolutum, aliunde quàm à cœlitibus peti nequeat.

Vers. 4. *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt inquinati; virgines enim sunt.*

Id est, cum mulieribus impudicis, seu meretricibus non consueverunt. At quænam istæ mulieres sunt? Sanè, non quæ vulgariter sic dicuntur, sed Prophetarum more, Civitates; atque eæ Christiani quidem nominis, sed idolis deditæ, quarum regina est Babylon illa magna, *mater scortorum* dicta, quacum fornicantur Reges & incolæ terræ. Cum talibus, qui ex Agni Cœtu sunt non consueverunt, hoc est, incestu idololatrico sese non contaminârunt. *Virgines enim sunt*, id est, ab omni idololatriæ labe immunes. Omnino enim postulat analogiæ ratio, ut eodem sensu isti virgines dicantur, quo cæteri, Reges & populi, cum Babylone scortari perhibentur. Præterea, quum Babylon ista *scortorum mater* audiat, consequens est, ut filiæ ipsius, reliquæ civitates scortilla quoque sint, quibuscum incolæ cuiq; subditi spirituali scortatione polluantur.

Hi sunt, qui sequuntur Agnum quocunquè ierit.

Hoc est, fidelissimè ei adhærent, neque ullâ occasione deserunt; ductâ Metaphorâ ab iis qui à latere cujuspiam nunquam recedunt, sed comitantur omni loco. Vel sic: In quacunque civitate, regione, territorio Agnus tentorium suum fixerit, eò eundem sectantur: contrà quàm reliqui hominum, qui licèt Christiani audiant, Agnum tamen, nisi Romæ apud Petri sedem habitârit, alibi quærere & sectari nollent.

Hi

Hi empti ſunt ex hominibus, primitiæ (ἀπαρχὴ) Deo & Agno. Ad Cap. 14

Id eſt, ex reliqua turba prophana redempti, ut eſſent Deo & Agno peculium ſacrum, inſtar primitiarum. Neque enim, ut vulgò creditur, Ἀπαρχὴ ſeu *primitiæ* primitivos tantùm fructus denotant, ſed etiam in genere quicquid profanis uſibus exemptum Deo conſecratur; idipſum nempe quod Hebræis תְּרוּמָה, quo nomine, cùm ipſas decimas, tum quicquid oblationum fuit præter ignitas, Scriptura comprehendit. Unde Chryſoſtomus, quas Abrahamus Melchiſedeco ſolvit decimas, ἀπαρχὰς vocat: Itémq; Irenæus, quas ſibi in Eccleſia aſſerit Deum etiamnum exigere creaturæ ſuæ primitias, contendit non debere eſſe minores decimâ: quum Chriſtus, inquit ille, naturalia legis non diſſolverit, ſed extenderit; & verò Chriſtiani, non minorem, ſed majorem, quàm Judæi ſpem habeant. Vide eum adverſ. Hæreſ. lib. 4. cap. 27. & 34. juxta editionem Fevardent. Quid, quòd Callimachus etiam Hymno in Delum, decimas Apollini mitti ſolitas ἀπαρχὰς δεκατοφόρους, id eſt, *primitias decimiferas* nuncupet? Ex quibus omnibus appareat, vocem ἀπαρχὴ, non primitivorum duntaxat oblationem, quæ Hebræis eſt, רֵאשִׁית vel בִּכּוּרִים, ſed & quamvis aliam denotare; nominiſq; rationem indè eſſe, quia Deo portio ſua priùs reddenda ſit, quàm aliquid in noſtros uſus inſumatur. Porrò, quoniam vox *Primitiarum* quotæ partis definitionem non includit; hinc factum, ut veteres Chriſtiani καρποφορίας ſuas, ſeu fructuum oblationes, licèt minores eſſe non debere putârint, quàm partem decimam: tamen ἀπαρχὰς, ſeu *primitias* appellare

In Epiſt. ad Hebr. Hom. 12. Vide quoque eundem Hom. 35. in Gen

Ad CAP. 14 maluerint, quàm decimas; tanquam ſcilicet nomine libertatis, non ſervitutis. Hæc, licèt ad inſtitutum meum plerâque ex parte non facientia, annotare tamen volui, ut iis qui apud nos, decimarum in Eccleſia Chriſtiana ſolvendarum antiquitati & juri ex Patribus & Conciliis eruendis, quandoque navant operam, gratum ſi poſſim facerem. Interim (ut eò redeam, unde pauliſper digreſſus ſum) fatendum eſt, ſtrictiorem quoque *primitiarum* ſignificationem huic loco non malè convenire; nempe, ut Cœtus *Virgineus* dicantur primitiæ reſpectu *Turbæ palmiferorum* cum aliquando auctiori numero excepturæ. Liberum itaque Lectori judicium ſuum eſto.

Vers. 5. *Et in ore eorum non eſt inventum mendacium* [Ità Vulgata, Syrus, Complutenſis, Aretas, & in exemplari Palatino Andreas, aliis *dolus*] *ſine macula enim ſunt.*

Non eſt inventum mendacium. Cujuſmodi nimirum invenitur in ore Beſtianorum ſeu Chriſtiani nominis idololatrarum omnium: qui ſe quidem Agnum & Patrem colere præ ſe ferunt, reapſe tamen honorem divino numini proprium creaturis tribuunt. Sanè omnis idololatra mendax eſt, quum pro Deo colat quod non eſt Deus. Quò ſpectat illud Apoſtoli ad Rom. 1. 25. *Commutârunt veritatem Dei in mendacium, dum coluerunt & ſervierunt creaturæ* παρὰ τὸν κτίσαντα, *prout Creatori.* Unde idola dicuntur *mendacia*, ut Amoſ. 2. 4. *Errare fecerunt, ſive ſeduxerunt eos mendacia ipſorum* (Vulgat. idola) *poſt quæ abierunt patres eorum.* Similiter Iſa. 28. 15. *poſuimus mendacium ſpem noſtram.* R. Sal. עֲבֵרָה זָרָה. Item Jerem. 16. 19. *Venient gentes à finibus terræ, & dicent,*

Verè

Verè mendacium poſſederunt (Chaldæus coluerunt) *Patres noſtri, vanitatem in qua non eſt utilitas. Nunquid faciet ſibi homo Deos, & ipſi non ſunt Dii?* Hinc autem Apoc. 21. 8. *Idololatræ & mendaces*, itémque verſ. 27. *facientes abominationem & mendacium*, ἐν ποιῶν βδέλυγμα καὶ ψεῦδος, ſeu tanquam ſynonyma poni videntur. Porrò, quum quorumvis hominum idololatria mendacium ſit, tum verò eorum, qui ſe interim veri numinis cultores ſimulant, propriiſſimè dolus eſt, ſeu mendacium fraudulentum: ut ſi Beſtianorum, quorum oppoſitione Cœtus iſte ſignatorum Agni deſcribitur, attendamus hypocriſin; lectio, quæ *dolum*, alteri quæ *mendacium* habet, præferenda videbitur; quamvis ad rem ipſam haud ità multùm interſit. Interim, ad pleniorem hujus loci intellectum, conferat Lector illum Zephan. 3. 13. ſanè huic quàm ſimillimum: *Reliquiæ Iſrael non facient iniquitatem, nec loquentur mendacium, & non invenietur in ore eorum lingua doloſa.* Ad Cap. 14

Et vidi alium Angelum volantem ἐν μεσουρανήματι, *in faſtigio cœli, habentem Evangelium æternum, ut evangelizaret habitantibus ſuper terram, & omni genti, & tribui, & linguæ, & populo.* Verſ. 6.

Finitâ Cœtûs deſcriptione, ſequitur rerum, eo Eccleſiæ ſtatu, quâ à Cœtu, Agni Ducis ſui auſpiciis, quâ ab Agno ipſo in tranſfugas & perduelles gerendarum hiſtoria. Harum ordo duplex; primò Admonitionis trigeminæ ad Beſtianos, totidem Angelorum celeuſmatis repræſentatæ; ſecundò Vindiciarum, parabolâ *Meſſis* & *Vindemiæ*. Monitorum Angelorum primus eſt iſte, quem hîc *alium* dicit: alium verò, ut dixi, ob Angelos ſymphoniacos pau-

Ad Cap. 14

lò antè memoratos, quorum è numero Evangeliſtes iſte non fuerit. Atque hîc in memoriam revocandum eſt (quod jam in ſuperioribus monui) Angelos in hujuſmodi viſionibus, eorum vicem repręſentare quorum gubernationi præſint; quódque communibus utrorumq; operis geritur, id Angelis authoribus, tanquam rei geſtæ auſpicibus & ducibus, factum dici. Hinc verò protinus ſuſpicari datur, Angelum tam ſublimè volantem (ſi modò & illud in cenſu parabolæ deputari debeat) non cujuſvis ſortis hominum, ſed celſioris conditionis præſidem eſſe, talibúſque in Evangelio ſuo annunciando uſurum. Porrò Evangelium illud αἰώνιον ſeu *æternum* dicitur; ídq; ut opinor, non tam futuri, quàm præteriti reſpectu; quaſi, quod ἀπ' αἰῶνος, id eſt, *à ſeculo*, ſeu ab origine mundi promiſſum fuerit; ſcilicet, *Semen mulieris* aliquando *contriturum caput Serpentis*, id eſt, Chriſti adventu deſtruendum regnum Diaboli, & conſtituendum regnum Dei. quo ſenſu & Apoſtolus dicit, illud à Deo promiſſum fuiſſe πρὸ χρόνων αἰωνίων, ad Tit. 1. 2. Sic igitur αἰώνιον idem hîc erit quod ἀπ' αἰῶνος, & εὐαγγέλιον αἰώνιον, quod Hebræis eſſet בשורת עולם, *evangelium antiquum*: quemadmodum ἔτη αἰώνια, Iſa. 58. 12. τρίβοι αἰώνιαι, Jer. 6. 16. & ὁδοὶ ἀρχαίαι, Deut. 33. 15. ſunt *Calles, ſemitæ, deſolationes antiquæ.*

Verſ. 7.

Dicentem voce magnâ, Timete Deum, & date ei gloriam, quia venit tempus judicii ejus: & adorate illum qui fecit cœlum, & terram, & mare, & fontes aquarum.

PRimus Angelus, jam tempus regni Dei adeſſe commemorans quo judicium ejus in idola & idolo-

idololatras exercendum ſit; adeóque, jam proſtratis & ſolio Romano exutis Dæmonibus, exerceri cœperit: eapropter hortatur gentes, tribus, linguas & populos, qui exinde in nomen Chriſti conceſſerant, ut hujus rei memores, unicum illum verum Deum Creatorem, prout in Evangelio annunciatur, colant, caveántque ab idolis: *Deum*, inquit, *timete*, id eſt, *reveremini, & date ei gloriam*, gloriam verò adorationis & cultûs religioſi; ut ſequentibus verbis exponitur. *Quia venit tempus judicii ejus*] hoc eſt, quo Chriſtus per crucem ſuam expoliavit imperia & principatus, Gentibúſque, quas per tot ſecula ſiverat in viis ſuis ambulare, annunciavit per Apoſtolos & Evangeliſtas, ut ab idolis converterentur: ſin minùs, morte æternâ, ipſo de cœlis redeunte, plectendos fore. Quorſum igitur Chriſtiani, qui in hunc Judicem, & Dæmonum triumphatorem Jeſum Chriſtum fidem profiteantur, ad idola & dæmones colendos poſtliminio reverterentur?

Ad Cap. 14

Potuit fortaſſe *tempus judicii* hîc ſtrictiùs accipi; de judicio nimirum Dei pridem in DRACONEM ejúſque aſſeclas exerto, quo Ethniciſmus corruit: ſed mallem illud latiùs extendere, & univerſè accipere, de regno Chriſti temporibus noviſſimis inito & promulgato, in quo idola ampliùs non ſint ferenda; juxta nimirum illud Salvatoris apud Joannem in Evangelio cap. 12. 31. *Nunc Judicium eſt mundi hujus, nunc princeps mundi hujus ejicietur foras.* Vide & cap. 16. 11. A quo enimvero Judicio Paulus quoq; Apoſtolus (quomodo hîc Angelus) argumentum duxit Paganos Athenienſes ab idolorum cultu dehortandi, Act. 17. 30, 31. *Deus*, inquit, *temporibus ignoran-*

Ad Cap. 14

ignorantiæ hucusque neglectis, nunc demum mandat omnibus ubique hominibus, ut resipiscant, eò quòd statuit diem quo justè judicaturus est Orbem terrarum, per eum virum quem definivit; fide ejus rei palàm factâ omnibus, illo ex mortuis suscitato. Cui gemina est ejusdem commonefactio ad Lycaonios, cap. 14. 15. *Annunciamus*, inquit, *vobis, ut à vanis istis rebus convertamini ad Deum vivum, qui fecit cælum & terram, & mare, & omnia quæ in iis sunt. Quique præteritis ætatibus sivit omnes gentes* (nempe, judicio suo nondum iis manifestato) *suis ipsarum viis incedere.* Supplendum est, Jam verò judicium suum omnibus promulgat. id quod Angelus hic expressit, dicendo, *Venit tempus judicii ejus.*

Sed quando, inquies, & ubi gentium, quibúsque tandem administris, Angelus iste prædicatione suâ functus est? Præludia quædam ejus edita sunt, quum primùm superstitio ad memorias & circa reliquias martyrum in Ecclesia glisscere cœperit, ut patet ex historia Vigilantii, quocum istiusmodi superstitioni intercedente, plures alios, etiam ex Episcopis ejus temporis, sensisse, testis est adversarius Hieronymus, qui eum immeritò hoc nomine exagitat. Sed omnium manifestissimè præconium hoc impletum liquet, ab anno Domini 720, in Ecclesiis Græcis & Orientis, ubi omnino Angelus Evangelistes volavit, ἐν μεσουρανήματι, *in cæli fastigio*, id est, loco celso & sublimi: quippe qui Evangelii sui administris usus est, non imæ & vulgaris sortis hominibus, sed summis in Orbe Christiano potestatibus; Imperatoribus putà Constantinopolitanis, Leone Isauro, Constantino Iconomacho, Leone Armenio, Michaele Balbo, & Theo-

Theophilo. qui omnes, potiſſimùm autem primi, pro cultu religionis uni Deo Creatori exhibendo, contra cultum creaturæ, non ſolùm qui in veneratione imaginum, ſed etiam qui circa Divos, eorúmq; reliquias exercebatur, edictis & decretis ſuis acerrimè proteſtati ſunt. Repetat Lector teſtimonia quæ hac de re ex Theophane laudavi, quum de Beſtia bicorni agerem. Porrò autem ſecundi auſpiciis, Concilium Conſtantinopoli convocatum eſt Epiſcoporum CCCXXXVIII, concordibúſque ſuffragiis Imaginum adoratio impietatis accerſita & damnata. Dices, Lector, ſi legere non pigebit, Definitionem Synodi, ipſiſſimam Angeli hujus concionem eſſe, eodémque quo illius, juxta interpretationem noſtram, fundamento ſubnixam. Quum verò nonnullorum fraude ibi contigerit, qui in imaginum quidem damnationem cum reliquis conſenſerant, Divorum verò invocationi adhuc faverent (neque enim paribus ſuffragiis in hanc, atq; in illam ſuperſtitionem itum eſt;) ut duo Canones, unus de beata Maria Deipara, alter de reliquis Sanctis. cœlitibus religiosâ invocatione colendis, Concilii decretis initio immixti fuerint: eos Conſtantinus Imperator cum ſanioris ſententiæ Patribus quum advertiſſent, illicò erroris arguerunt, ínque judicii ſui teſtimonium induci, atque de codice deleri curaverunt. Cujus facti teſtem habeo, ſi quis dubitet, primò Authorem refutationis Definitionis iſtius Conſtantinopolitanæ, Actis Concilii Niceni ſecundi inſertæ. qui quum primam ejus editionem ſibi refutandam ſumpſiſſet, ad iſtos Canones ſic infit: Μετὰ τὴν ἔκδοσιν αὐτῶν ταύτην, καὶ τὴν τῶν πρεσβειῶν ἐν προσδέκτον τῷ θεῷ προσαγω-

Ad Cap. 14

Ad Cap. 14

γὴν ἀπεβάλοντο, λοιώσαντες ταύτην ἐκ τοῦδε αὐτῶν συγγράμματος καὶ τοῦτο ἴσασι πάντες· *Post hanc editionem suam*, inquit, *etiam intercessionum Deo acceptabilem oblationem abjecerunt, delentes hanc ex hoc scripto suo.* Deinde Acta Stephani Monachi pseudomartyris; apud quem quum Episcopi, qui ad eum convincendum ab Imperatore missi fuerant, Concilii decretum recitare inciperent: ille verò statim excipere adversus Concilii titulum, *Sancti*; illud *sanctum* dici non debere, propterea quòd sancta proscripsisset. *Annon*, inquit, *sacram supellectilem imaginibus exornatam concerpsistis? Annon adjectivum hoc* Ἅγιος *ab omnibus justis, ab omnibus Apostolis, à Prophetis, à Martyribus, piisque viris abjecistis? Sancitum enim à vobis est, ô generosi viri, ut cùm quisquam ad horum aliquem adiret, ex eóq; quæreretur, quò abiret: responderet, Ad Apostolos, Ad quadraginta Martyres: sive unde veniret; itidem responderet, Ex Templo Martyris Theodori, ex Templo Martyris Georgii. Annon hæ vestræ doctrinæ sunt? Quonam ergò pacto qui sancta proscripsistis, Sanctum concilium coegistis?* Hæc Stephanus ipsemet. audiamus porrò Actorum ejus descriptorem (qui eodémque tempore vixit) in eosdem ob Deiparæ cultum imminutum tragicè exclamantem: *Quonam pacto, Christe, lenitatem illam tuam, quæ nullis verbis explicari potest, non admirer? Quonam pacto benignitatis tuæ, quæ vim sermonis omnem superat, abyssum exponere queam? adhuc porrò audacissimæ illæ linguæ eò proruperunt, ut ingens quoque illud & improbum eloqui non dubitarint; nimirum illam ipsam Dei genitricem Virginem, inutilem quandam post mortem & commodi omnis expertem rem esse, nec cuiquam omnino adjumento,*

Apud Surium, Tom. 6. Nov. 28.

to, ac præſidio eſſe poſſe. Adhuc iſtis teſtem adduco Cedrenum. Refert ille Conſtantinum, *Legem univerſalem edidiſſe* (proculdubio ex Concilii ſententia, cujus Acta hodie præter ſolam Definitionem deſiderantur) *nè quiſquam prorſus ſervorum Domini* ἅγιος *diceretur; ſed, ut eorum reliquiæ reperta contemnerentur:* (nè ſuperſtitiosè venerarentur, Cedrene, etiamſi veræ fuerint; ſin falſæ, ut è Templis abjicerentur) *néve ipſorum interceſſio poſceretur; nihil enim valere. Adjecit etiam ſceleſtus,* inquit, *Nè Mariæ quidem interceſſionem quiſquam imploret.* Jam liceat mihi Lectorem convenire, annon ex hiſce teſtimoniis clarum eſſe putet, aliquid in Concilio iſto actum adverſus Sanctorum cultum & reliquiarum? In hoc autem probando aliquanto diutius immoratus ſum, quoniam non eſt, ut illud de imaginibus, perinde omnibus notum. Ad Cap. 14

Sed nondum hîc defuncti ſumus. priùs illa de epitheto *Sancti*, juſtis, quaſi per diminutionem & contumeliam, abjudicato, calumnia detergenda eſt. Palàm enim eſt, ex ipſa Definitione Synodi (quæ hodiéque in Actis Niceni ſecundi extat) Apoſtolos & juſtos à Patribus iſtis paſſim Sanctitatis titulo honorari. non igitur ſimpliciter prohibuiſſe credendi ſunt quod ipſimet factitarent. Sed, ut conjicere datur, illius ſeculi opinione nomen ἅγιος (nam de hoc ſolo ſermo eſt) videbatur interceſſionis honorem inferre. unde, ut ſuperſtitioni quovis pacto iretur obviàm, illius uſu in communi ſermone de Templis, præſertim quum eò precatum ibant, interdictum fuit. Nempe, ἅγιος ab ἄγος deflexum videtur. qua voce ſignificatur σέβασμα ἢ σεβάσματος ἄξιον, *Veneratio,*

Ad Cap. 14

aut res veneratione & adoratione digna. Unde Hesychio "Ἅγιοι, σεβάσμιοι" utrumque ab ἅ"ζω, *veneror, colo.* Imò, quod ad cultum mortuorum manifestò ducat, communis est originis cum ἐναγίζειν, *sacra mortuis facere, parentare,* & cum ἐνάγισμος, *parentatio, inferiæ.* Præterea (ut illud quoque, bona Lectoris cum venia, & citra futilitatis notam, adjiciam) fieri potuit, ut nomen "Ἅγιος Græcorum vulgo (quippe similium vulgi hallucinationum exempla apud nos quandoq; observare est) sonare videretur, licèt falsò, δι' ἧς ἀναφέρονται αἱ εὐχαὶ ἡμῶν πρὸς Θεὸν ἄγονται, *cum per quem preces nostræ Deo offeruntur,* id est, προσαγωγεύς, *admissionalem & interpretem apud Deum.* quomodo Gregorius Nazian. Christum Dominum nuncupat; juxta Apostoli illud ad Ephes. 2. 18. Δι' αὐτοῦ ἔχομεν προσαγωγὴν πρὸς τὸν πατέρα.

Quicquid sit; illud ex allatis modò testimoniis apparet, tum temporis exiftimatum fuisse, hujusce vocis usu superstitionem illam erga sanctos vitâ defunctos ali atque foveri. Cui, ut omni ratione & machinâ occurreretur, ejus usu interdictum fuit: non quidem simpliciter & universè, quod adversarii calumniantur; sed in Templis appellandis solummodo, quæ Apostolorum & Martyrum memoriis nuncupabantur. Errori, ut videtur, minuendo, quo, vel ea loca esse, creditum est, Deum per Martyrum intercessiones adeundi, vel eorum, quorum nominibus ferebantur, venerationi sacra. Ideo in vicem cognominis Ἁγίων, illud *Apostolorum* & *Martyrum,* non minùs certè honorificum, substituere visum fuit. Satisne verò consideratè & consultò, illius est judicare, qui temporis illius circumstantias, factique rationes

tiones omnes probè plenéque perſpectas habuerit. Interim Eccleſiæ virginitati aut puritati nihil quicquam detrahit, ſi fortè aliquando in talibus quæ ad rationem & modum rei gerendæ ſpectent, minùs ſapienter judicaverit. Non enim neceſſe eſt, ut perpetuò, aut prudenter agat, aut loquatur, quæ caſta ſit. Simili ferè de cauſa, *Sacerdotis* vocabulum de Presbyteris Evangelicis, *Sacrificii* de Sacramento Euchariſtiæ (nè hujuſmodi alia nominem) apud pleraſque Eccleſias reformatas in deſuetudinem abire juſſa ſunt. Nec id quidem omnino temerè, niſi quòd (ut quibuſdam videtur) in prioris locum non commodum ſatis vocabulum ſubſtitutum, *Miniſtrorum*. quo licèt omnes qui ſacro fungantur munere, ritè & ex Scripturæ uſu appellentur; non tamen eo Preſbyteri à Diaconis diſtinguuntur. Annon igitur *Preſbyteros* potiùs dixiſſemus nomine Apoſtolico, ſi noluiſſemus *Sacerdotes?* Sed hæc alterius loci ſunt. Ad Cap. 14

Porrò, non in Oriente ſolùm, verùm etiam in Occidente, fremente licèt Pontifice Romano, Angeli hujus præconium inſonuit; non quidem plenis, ut illîc, buccis, voce tamen publicâ & ſolenni. Primùm, anno 790, in Synodo Francofurdiana ſub Carolo M. 300 ferè Epiſcoporum, præter Abbates & alios. ubi cultus & adoratio Imaginum, unà cum Concilio Niceno ſecundo, quod eam ſtabiliverat, quódque Hadrianus Papa per Legatos ſuos rexerat, & approbaverat, damnata ſunt. Iterúmque in Synodo Pariſienſi, anno 825, juſſu Ludovici congregatâ. in qua tum ex authoritate divina, tum Patrum ſententiis prolixè oſtenditur, adorationem Imaginum rem nefariam ac impiam eſſe, Synodúmque Habetur in Catal. Teſt ver. edit. 1608. pag. 1123.

Ad Cap. 14

Nicenam ejuſmodi ſuperſtitionis ream reprobandam eſse. Adde Commentarium à Carolo Magno ad Hadrianum Pontificem, idolorum propugnatorem, poſt Concilium illud Francofurtenſe, miſsum; ut hìc quoque Angelum in Cœli faſtigio volâſse agnoſcas. Atque hactenus primi Angeli hortamentum percepimus: jam ſecundi præconium auſcultemus.

SEcundus Angelus, ROMAM, ob ſpurcitiem & multitudinem idololatriarum, quibus, primi Angeli hortatione ſpretâ, tum ipſa ſeſe contaminaverat, tum ut idem ſecum facerent, cunctis in Orbe ſuo gentibus author & princeps extiterat; è civitate Dei in BABYLONEM verſam denuntiat; eapropter, ſententiæ divinæ in omnes Idololatras latæ jam penitus per impœnitentiam ſuam obnoxiam factam, diutius non ferendam, ſed irrevocabili decreto perdendam atque excindendam eſſe; eíque excidio uſque ab hoc præconio apparatum continenter & aſſiduè inſtitutum iri.

Atque hujus quidem præconii adminiſtri extitere, verbo partim, partim facto, Waldenſium & Albigenſium Cœtus; ut qui omnium mortalium primi, Eccleſiam Romanam ab idololatria ſeu ſcortatione myſtica renuntiárunt, BABYLONEM eſſe Apocalypticam; iidémque primum quoque ei ad ruinam fecere gradum; quandoquidem ſic detectam extemplò magna hominum multitudo eam abominari, privatímque per omnes ditionis ejus provincias defectionem facere; adhæc authoritatem ejus exinde indies magìs magíſque labefactari, ruinámque tunc fieri cœpiſſe, quæ non ſtitura ſit, donec tandem

dem ad Urbis ipſius crematiónem ſit deventum. Verbo dicam. ab hujúſque Angeli præconio, quaſi delectus ſanctorum militum Babyloni diruendæ continenter fieri cœpit. Ad Cap. 14

Cecidit, cecidit Babylon.

Quaſi dicat, Jam nunc Ruinæ Babylonis jaciuntur fundamenta. ab hoc enim tempore Belli contra ipſam gerendi apparatus ſuſcipietur. Imitatur autem Iſaiam cap. 21. qui iiſdem planè verbis, nec diſſimili rerum occaſione, veteris illius Babylonis interitum, non jam factum retulit, ſed ut hic, jactis rerum fundamentis, certo certiùs futurum prænunciavit. Quippe, ut docet Chronologia, eodem tempore Iſaias hoc vaticinium ſuum edidit, quo Medi, Babylonem aliquando vaſtaturi, excuſſo Aſſyriorum jugo, ſeſe in libertatem aſſeruerint, conditâq; ſub novo Rège Dejoce Ecbatanâ, Regni, tum Nino, tum Babyloni fatalis fundamina poſuere.

— Quia ex vino veneficii ſcortationis ſuæ potavit omnes gentes.

Vino veneficii ſcortationis ſuæ] id eſt, philtris, vino potionato dementavit. Θυμὸς enim hîc, non *iram* aut *excandeſcentiam* valet, ſed ex uſu Helleniſtico *venenum*; nempe voci Hebrææ חֵמָה parem eſſe voluere, quæ *iram* modò, modò *venenum* ſignificat. Hinc Deut. 32. 33. Septuag. Θυμὸς δρακόντων ὁ οἶνος αὐτῶν, καὶ θυμὸς ἀσπίδων ἀνίατος, *i. Fel Draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile.* Item Job. 20. 16. Θυμὸν δρακόντων θηλάσεται, ἀνελεῖ δὲ αὐτὸν γλῶσσα ὄφεως, id eſt, *Venenum draconum ſugat, occidat eum lingua ſerpentis.* Adde Pſal. 58. 4. Θυμὸς αὐτοῖς κατὰ

πλευ

Ad CAP. 14

τὸν ὁμοίωσιν τῆς ὄφεως, *Venenum illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis.* Vide etiam, ſi lubet, Deut. 32.24. Job. 6.4. imò ubicunque in V. T. *veneni* ſignificatio occurrit, eam aliter quàm aut hac aut voce χολῆς, non niſi ſemel tantùm expreſſam videbis.

Duplicis autem in Apocalypſi οἴνου τοῦ θυμοῦ, ſeu *vini ejuſmodi potionati* mentio habetur: οἴνου τῆς θυμοῦ τῆς πορνείας, quo, ut dixi, amatorium virus ſeu philtrum deſignatur (juxta quod idem cap. 18.23. φαρμακεία, ſeu *veneficium*, conſueto ad eam rem vocabulo, nuncupatur;) & οἴνου τοῦ θυμοῦ τῆς ὀργῆς, quæ ſupplicio afficiendorum potio eſt. ſiquidem illo ſpiritualis *ſcortationis illecebram*, ex conſuetudine Meretricum philtris amorem conciliantium, Spir. Sanct. expreſſit; hoc ad morem Judæorum alluſit, qui morte afficiendis, ut torporem iis inducerent, calicem vini, cui myrrha, aut aliud id genus aroma amarum, immixtum fuerit, præbere conſueverant. Cujuſmodi proinde potionem Servatori cruci jamjam affigendo iidem exhibuiſſe perhibentur: ſed ille bibere recuſavit: Mat. 27.34. *Dederunt ei*, inquit, *vinum*, μετὰ χολῆς μεμιγμένον, *cum felle mixtum*, id eſt, οἶνον τοῦ θυμοῦ. χολὴ enim & θυμὸς idem valent. Voce autem χολῆς Evangeliſta *ſpeciem amaram* in genere deſignavit, pro Helleniſtarum uſu (quibus & *Abſinthium* χολὴ dicitur.) Hanc Marcus *myrrham* fuiſſe determinat: *Et dederunt ei*, inquit, *bibendum vinum myrrhatum.* Myrrha verò, Hebraicè מור, Syriacè מורא ab amaritudine ſumma nomen traxit. Atque hinc factum videtur, ut Prophetæ in cladibus depingendis, toties *Calicis* parabolâ uterentur: utpote qui ex more gentis perituris porrigi ſoleret. Sic fuit Angeli ſecundi præconium,

um, quem mox excepit tertius. Is quid novi adhuc moniti superaddat, pronis auribus excipiamus. Ad Cap. 14

TErtius Angelus, priores duos supergressus, Bestiæ cultores admonet, quàm horrendum eisdem impendeat periculum, siquidem ejus sequaces adhuc esse perrexerint: ideóque suadet, ut, omni cunctatione abjectâ, protinus sese à consortio ejus subducant, hócque pacto saluti suæ consultum eant; neque enim qui posthac ei adhæserint, salvos esse posse. Quod quidem præconium, maximè omnium insigne, Lutheri, sociorúmque ejus, & successorum operâ, superiori seculo felicissimè adimpletum est. quod nimirum eximia illa, quam cernimus, Ecclesiarum Reformatio est consecuta; hominibus, non jam singulatim, ut ad præcedentis Angeli vocem factum erat, sed provinciatim & tributim, asserendæ & repurgandæ Religioni, passim Bestiæ jugum excutientibus.

Et tertius Angelus, inquit, *sequutus est illos* (.i. priores duos) *dicens voce magnâ, Si quis adoraverit Bestiam & imaginem ejus, & acceperit characterem in fronte sua, hic bibet de vino iræ Dei* [τοῦ οἴνου τοῦ θυμοῦ] *quod mixtum est mero in calice iræ ipsius, & cruciabitur igne & sulphure in conspectu Angelorum sanctorum, & ante conspectum Agni; Et fumus tormenti eorum ascendet in secula seculorum, nec habent requiem die aut nocte, qui adorant Bestiam & imaginem ejus, & si quis acceperit characterem nominis ejus.* Vers. 9, &c

Pœnę atrocis atrox descriptio, cui vix quicquam simile habet totius Canonis ambitus. Ὄινος τοῦ θυμοῦ τῆς ὀργῆς supplicii potio est, perituris dari solita, ut

Ad Cap. 14 ad vers. 8. monuimus. *Vinum merum*, id est, aquâ non dilutum, fortiùs inebriat, adhúcque magìs, si diversa vinorum genera misceantur: cujusmodi igitur nonnulli hîc intelligi volunt verbis istis κεκερασμένου ἀκράτου, id est, *meri mixti*; quum alioquin pugnantia diceret. Sed magìs sese mihi probat, ut ἄκρατον κεκερασμένον idem sit, quod merum myrrhâ, felle, thure, similíve saporis amari pharmaco mixtum, quod in poculo Judæis *maledictionis* dicto, ex more gentis usitatum; alluslúmque ad illud Psalmi 75. 9. juxta Septuag. ποτήριον ἐν χειρὶ κυρίου ὅτου ἀκράτου πλῆρες κεράσματος. Ubi Chaldæus habet: *Calix maledictionis in manu Domini, & vinum forte, plenum mixtione amaritudinis, ad tollendum per illud scientiam improborum.* Diximus enim, potionem illam exhibitam, ut morituro rationis usus tolleretur. Pro eo autem quod Septuag. habent, ὅτου ἀκράτου, in Hebræo est יין חמר "vinum rubens", nempe, quod aquæ admixtione colorem non perdiderat. Erant enim vina in Terra sancta rubra. Reliqua descriptionis per se patent.

Juvabit autem hîc, triplicis istius præconii gradus paulisper observare, útque posterior priorem gravitate superet. Primus enim Angelus solius officii admonuit, Deum ritè ex Evangelii præscripto colendi; culpam hac parte commissam non exprobravit. Secundus ulteriùs progressus, Mœchationis spiritualis crimen intentat, atque id interitu & exitio inevitabiliter luendum; sed quod soli adhuc Babyloni criminis principi & architectæ, nondum participibus ejus comminetur. Tertius verò, omnibus gravitatis numeris expletis, universæ Bestiæ cohorti, cunctísque in obsequio ejus permansuris, horrendos

dos, atque infandos cruciatus, eósque nec finem nec remissionem ullam habituros denuntiat. Sequitur Ad Cap. 14

Hîc patientia Sanctorum est. Hîc qui custodiunt mandata Dei & fidem Jesu. Vers. 12.

Quasi diceret, Hoc præconium Lydius lapis erit, probandæ tum patientiæ, tum obedientiæ Sanctorum. Patientiæ quidem, si tam atrocis pœnæ, talisque quæ omnem moram compensabit, expectationi acquiescentes, nihil tam diuturnis Bestiæ successibus perturbentur, néve ad eam, quâ in refractarios & imperio suo immorigeros grassabitur persecutionum rabie, quicquam animis concidant: Obedientiæ verò erga Dei mandata & fidem Iesu, si hac comminatione auditâ, nihil cunctati protinus sese à Bestiæ communione subducant, imagini & characteri ipsius renuncient. *Hi sunt qui custodiunt mandata Dei & fidem Jesu*, id est, qui ritè ac Evangelicè Deum colunt in fide Jesu Christi: propterea q; Evangelicorum nomine haud immeritò dicendi.

SIc Ecclesiâ Virgineâ triplici monitione suâ defunctâ, succedit Assertio ejus contra hostes, typo *Messis* & *Vindemiæ*; quibus semel peractis, non differtur ampliùs beata justorum remuneratio, ut testatum facit denunciatio ista de cœlo, utriusque descriptioni præmissa,

Audivi, inquit, *vocem de cœlo, dicentem mihi, Scribe, Beati mortui qui in Domino moriuntur, ab hoc tempore: Etiam, dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis; opera verò eorum sequuntur eos.* Vers. 13.

Scio plerosque pronunciatum hoc cœleste ad superiora referre, tanquam consolandis Sanctis jam gravissima quæq; à Bestia, præcedenti celeusmate irritata

Ad Cap. 14 ritatâ, paſſuris. In qua ſententia & ipſe pridem fui. Nunc verò, re accuratiùs perpenſâ, eò inclino, ut ad ſequentia potiùs referendum putem, tanquam commonefactionem jam inſtantis Reſurrectionis & Judicii ſub Tuba ſeptima; cujus utpote apparatus in ſequenti Viſione agi inciperet. Ità ut illud, ἀπάρτι, *ab hoc tempore*, dicatur, non reſpectu rei præcedenti Viſione exhibitæ, ſed proximè ſequenti exhibendę; quam nimirum protinus exciperet Reſurrectio mortuorum & Judicium. Quaſi dixiſſet: Nunc ad illud deventum eſt, quod unicum reſtat implendum, ad tempus illud quo *Mortui in Domino* ad beatam vitam ſuſcitabuntur. Sic enim in Evangelio Matth. 23. verſ. ult. Dominus ad Judæos: *Non me videbitis* ἀπ' ἄρτι, *donec dicatis, Benedictus qui venit in nomine Domini*, id eſt, non à temporis momento quo hæc loquutus erat, ſed à tempore Paſchatis, quod tunc celebratum ibat: poſt quod vulgo Judæorum non ampliùs ſe conſpiciendum præbuit. Ratio autem mihi fic, ut dico, ſentiendi triplex eſt. Primùm, quòd non meminerim uſpiam in ſacra Scriptura, diem mortis, *Diem mercedis* indigitari, ſed Diem ſolum Reſurrectionis & Judicii. Secundò, Denunciatio de cœlo, cum mandato ſcribendi, non niſi ad inſigne aliquod rerum momentum indicandum videtur adhibitum. Certè ejuſmodi mandatum alibi nuſquam, præterquam initio totius Prophetiæ, reperire eſt. Denique pronunciato huic, ſi bene attendatur, ſenſu omnino convenit cum illo ad clangorem Tubæ ſeptimæ, cap. 11. quando tempus affore dicitur, quo *mortuorum* (nempe, propter Chriſtum) *cauſa judicabitur, Deúſq; redditurus ſit mercedem*

dem ſervis ſuis Prophetis, & Sanctis, & timentibus nomen ejus parvis & magnis, & perditurus eos qui perdunt terram. Ità hîc, *Beati*, inquit, *ab hoc tempore mortui, qui in Domino mortem occubuere, ut requieſcant à laboribus ſuis*, id eſt, vitam deinceps priſtinorum malorum & calamitatum ſecuram degant (quo ſanè hoſtium & tyrannorum exterminium innuitur) *& opera eorum ſequuntur eos*; id eſt, perpeſſionum ſuarum & rectè factorum omnium mercedem conſequentur beatiſſimam. Ad Cap. 14

Interim, hac interpretatione admiſsâ, de ſenſu verborum Οἱ ἐν Κυρίῳ ἀποθνήσκοντες, nihil muto; adhuc ea cum prioris ſententiæ ſequacibus, non de quibuſvis in Chriſti fide obdormientibus, ſed ſpeciatim de Martyribus intelligendo, qui vitam pro Chriſto profuderunt (talibus enim conſtat Reſurrectio prima:) ut cum Beza reddendum putem, *qui propter Dominum*, ſeu *Domini cauſâ moriuntur*. Quemadmodum ad Epheſ. 4. 1. Δέσμιος ἐν Κυρίῳ, *Vinctus in Domino*, eſt *Vinctus propter Dominum*; idem ſcilicet quod Δέσμιος τοῦ Χριστοῦ, cap. 3. 1. Quo eodem ſenſu veteres (ut ex Tertulliano conjicere datur) acceperunt illud 1. Theſ. 4. 16. *Mortui in Chriſto reſurgent primi*, id eſt, Martyres, qui propter Chriſti confeſſionem neci dati fuerint. Videſis eum de Anima c. 55. Quippe notum eſt, Latinis ablativum & Græcis perinde dativum, qui aliàs inſtrumentum & modum agendi ſignificat, etiam cauſam ob quam ſive propter quam denotare; ut, *Verberat odio, invidiâ pulſus eſt*, & ſimilia. Hunc autem ablativum ſive dativum, quum Hebræi per præpoſitionem ב enuncient, & eorum imitatione, Scriptura Græca per ἐν: indè

Ad Cap. 14

factum, ut ἐν quoq; ibidem cauſam propter quam deſignet. Rarior quidem eſt hæc ſignificatio cum hac particula; ſed non dubito, quin plura ſuppeditârit exempla obſervatio diligens, quàm mihi nunc in promptu ſint.

Tantum de pronunciato cœleſti. jam bigæ Viſionum, cui præmitti diximus, ſenſum, quantum in re futura licet, quâque decet ſobrietate & modeſtiâ, indagemus: & primò Messis, quâ primus ad conſummationem gradus ſternitur.

Verſ. 14, &c.

Et vidi, inquit, *& ecce nubem candidam; & ſuper nubem ſedentem ſimilem Filio hominis, habentem in capite ſuo coronam auream, & in manu ſua falcem acutam.* 15. *Et alius Angelus exivit de Templo, clamans voce magnâ ad ſedentem ſuper nubem, Mitte falcem tuam & mete, quia venit hora metendi, quoniam aruit Meßis terræ.* 16. *Et miſit qui ſedebat ſuper nubem falcem ſuam in terram, & demeſſa eſt terra.*

Meßis nomen tria complectitur; ſegetis deſectionem, collectionem, & trituram. Unde factum, ut duplicem in ſacris, contrariíque ſenſûs parabolam conſtituat; modò *ſtragis & excidii*, quaſi deſectionis & trituræ; modò *reſtitutionis & ſalutis*, pro collectionis ingenio. Illius exemplum obvium apud Jeremiam, cap. 51. ubi ſic de clade Babylonis: *Filia Babylonis quaſi Area, tempus trituræ ejus: adhuc modicum & veniet tempus meßionis ejus.* Item Iſaiæ cap. 17. de excidio Damaſci, & clade Iſraelis per Thiglathpeleſarem: *Ceſſabit adjutorium ab Ephraim & regnum à Damaſco, &c. & erit perinde ac ſi colligeret meſſor ſegetem, & brachium ejus ſpicas demeteret.*

Hujus

Hujus verò exemplum vix alibi, quàm in N. T. reperire eſt. *Meßis*, ait Salvator, *magna eſt, operarii verò pauci.* Non deſunt tamen, qui ab hac notione interpretentur querelam iſtam Iſraelis apud Jerem. 8. 20. *Præteriit Meßis, conſumpta eſt æſtas, & nos non ſumus ſalvati*, i. Tranſiit tempus quo putavimus nos ſalvos fore, & non ſalvati ſumus. Utrius autem figuram MESSIS hoc loco ſuſtineat, eruamus, ſi poſſimus, ex rerum gerendarum ordine, quas alibi Spir. Sanct. de iiſdem Eccleſiæ temporibus repræſentaverit. Ad CAP. 14

Calcationem torcularis, quâ Vindemia MESSEM iſtam ſubſequens defungitur, eandem eſſe cum ſtrage illa cruenta ab Equi albi Seſſore patranda cap. XIX, palàm eſt ex eo quod ejuſdem Seſſoris deſcriptioni inſeritur: *Is eſt qui calcat torculare furoris iræ Dei omnipotentis.* Jam verò, hoc dato & poſito, neceſſe eſt, parabolas propheticas, quæ utramq; pariter immediatè, & nullo ampliùs Viſo interveniente, prævertant, aut rem eandem denotare, aut ſi diverſas, tamen aliquo pacto inter ſe conjunctas & devinctas. Quum idcirco hîc Vindemiam proximè antecedat MESSIS iſta; illîc verò Stragem eam atrocem Apparatus nuptiarum Agni, unà cum Excidio Babylonis: ſequitur omnino, aut Apparatum iſtum, aut Excidium, eſſe MESSEM quam quærimus, aut eodèm cum MESSE aut cum iis MESSEM, pertinere.

Si dixerimus, Vaſtationem Babylonis MESSEM eſſe, id tum Typi ingenio, qui *deſectionem* & *trituram* ſubindicat, ſatis conſentaneum foret; tum præſertim ſubblandiretur Jeremiæ exemplo, veteris quoq; Babylonis caſum eâdem figurâ prædicentis.

Locus

Ad Cap. 14

Locus est, quem paulò antè laudavi: *Filia Babylonis, quasi area, tempus trituræ ejus: adhuc modicum & veniet tempus messionis ejus.* Huic quoque accedit, quòd quum utraque, tam Messis quàm Vindemia, quòd Annum absolvant, rerum finem & consummationem denotet; Messis verò Vindemiam tempore præcedat: ideo, si consummationi tyrannidis Romanæ significandæ utramque deservire compertum esset; sanè appositè admodum MESSIS, Urbis ipsius cladem, tanquam excidii plenarii præmetium; VINDEMIA Messi succedens, universi Regni Bestiani interitum, haud longo eam intervallo subsecuturum, designatum iret.

Nec sanè quicquam est, quod huic accommodationi obstet, præterquam illud unum; quòd Stragem illam internecinam cap. 19. *Vindemiæ* quoque imagine expressam, non Babylonis vastatio, ut hactenus præsuppositimus, sed alius rerum eventus (Babylonis vastationem (ut videtur) subsequens) *Apparatus nempe Nuptiarum Agni*, seu *Sponsæ ejus exornatio*, proximè anteire deprehenditur. Annon igitur MESSIS Apparationi isti significandę erit, aut, (si hoc incongruum) rei alicui cum ea gerendæ? At quænam, inquies, Apparatio illa Sponsæ est? quídve illud, quod cum ea simul gerendum sit? Sanè Apparatio illa Sponsæ, nondum video, quid aliud esse possit, quàm illa tot seculis expectata conversio & collectio Israelis; illius quæ olim (juxta Salvatoris parabolam) ad nuptias Filii Regis invitata, venire recusavit; nunc verò tandem prompta & parata accurret. Non enim Gentes Sponsa illa dici posse videntur, cùm illæ jam olim & à multis seculis Christo

Matth. 22.

sto desponsatæ fuerint. Judæi idcirco sunt, qui adhuc Agni Sponsa futuri expectantur. Cum hac autem Conversione & Reductione Israelis (quâ illa in Cœtum Agni Virgineum cooptabitur, ejúsque pars fiet) conjuncta erit Turcici Imperii demessio seu excidium; juxta quod ad Phialam sextam legitur, sed aliâ figurâ, *Aquas magni illius fluminis Euphratis exsiccandas esse, ut paretur via Regum abortu Solis.* Tempus enim hujus Phialæ planissimè ad tempus Apparationis istius Sponsæ convenit, quum sicut ista excidio Babylonis & stragi hostium novissimæ interjecta sit; ità hęc Phiala, Phialæ quæ in Thronum Bestiæ effunditur, & Phialæ novissimæ media intervenit. Nempe Ecclesia Christi, ut conversione Israelis quasi gemina evasura sit: ità utraque pars proprium & peculiarem id temporis hostem videtur habitura; illa BESTIAM *Romanam* origine incircumcisâ, hęc *Imperium* MUHAMMEDICUM circumcisæ Gentis, atque ortu Ismaelitico, Isaacidis ominoso. Quorum utriusq; exterminio sub adventum Christi peragendo, quidni hujus, MESSIS, illius autem VINDEMIA repræsentando deserviat?

Ad Cap. 14

Porrò huic MESSIS interpretationi, si minùs firmitudinem, speciem saltem aliquam conciliet Vaticinium illud Joelis, undę utraque Imago tam *Messis*, quàm *Vindemiæ* desumpta est. Illîc enim de tempore convertendi Israelis agi, vel ex primis Oraculi verbis manifestum est. *In diebus illis*, inquit, *& tempore illo quo reducam captivitatem Judæ & Jerusalem; congregabo omnes gentes in vallem Josaphati, & disceptabo cum iis ibi super populo meo & hæreditate mea Israel, quos dispersérunt in nationibus, terrámque meam*

Cap. 3.

Ad Cap. 14

diviſerunt. Deinde in apparatûs bellici hypotypoſi ſequitur: *Immittite falces, quoniam maturavit Meſſis: Venite & deſcendite, quia plenum eſt torcular, exuberant torcularia, quia magna eſt malitia eorum*. Utcunq; igitur, in hac Figuræ MESSIS accommodatione, id obſervare liceat, rem gerendam ità comparatam eſſe, ut ei utraque Meſſis notio, tam *deſectionis* & *trituræ*, quàm *collectionis*, aptari poſſit; hæc, ex parte Iſraelis in Eccleſiæ horreum colligendæ, illa, ſtragis hoſtium cum ea conjunctim futuræ: tamen cùm de Eccleſiæ contra hoſtes aſſertione noviſſima hîc agatur, ideo omnino *deſectionis* & *trituræ* notionem præferendam cenſeo.

Sed quicquid MESSIS futura ſit, certè Dominum ejus, & meſſionis Auſpicem, ipſum Chriſtum Regem fore arguit deſcriptio. Ecquid enim ulli præter ipſum Regi Titulus iſte FILII HOMINIS cum NUBIS carpento in univerſa Scriptura tribuitur? Ut minimè tutum ſit, meâ quidem ſententiâ, id aliò torquere. potiùs colligendum videtur, divini Numinis potentiam in MESSE iſtac defungenda, ſicut & in proximè futura VINDEMIA, magis conſpicuam & illuſtrem futuram, quàm in ullis hactenus operibus factum eſt, eorum quæ Angelorum tantùm nominibus gerebantur.

HACTENUS de MESSE conjectavimus; pergamus nunc ad VINDEMIAM. quam, utì in Anni tempeſtatibus fieri conſuevit, ità hîc ordine rei gerendæ MESSEM ſequi, rationi conſentaneum eſt.

Verſ. 17, &c.

Et alius Angelus exivit de Templo quod eſt in cœlo, habens & ipſe falcẽ acutam. 18 *Et alius Angelus exivit de altari, qui habebat poteſtatem in ignem:*

&

& clamavit voce magnâ ad eum qui habebat falcem acutam, dicens, Mitte falcem tuam acutam, & vindemia botros vineæ terræ; quoniam maturæ sunt uvæ ejus. 19 *Et misit Angelus falcem suam acutam in terram, & vindemiavit vineam terræ, & misit in lacum iræ Dei magnum: & calcatus est lacus extra Urbem, & exivit sanguis de lacu usque ad frænos equorum per stadia mille sexcenta.* Ad Cap. 14

Hæc VINDEMIÆ descriptio est. Ad cujus interpretationem eo certiùs collineabimus, quo hîc parabolæ significatio minùs in ambiguo posita, & expressior habetur botrorum calcandorum designatio. Siquidem *Calcatio vindemialis* in Scriptura parabolica *cladem atrocem, cruentam & internecinam* constanter denotat. Hoc primum. Deinde Cladem, qua de hîc agitur, eandem esse cum Clade illa magna cap. 19, ostendunt (ut paulò antè admonui) verba illa de *calcando torculari iræ Dei* descriptioni ejus inserta. Ergò eadem quoque erit cum *Bello magni illius diei Dei omnipotentis* ad Phialam novissimam. quocum Cladem illam internecinam cap. 19. eandem esse, illud dubitare non sinit, quod utraque ejusdem omnino hostis clades novissima sit. Utraq; enim in Bestiam, Pseudoprophetam, eorúmque Confœderatos ultimò incubitura est. At eorundem clades ultima non potest esse nisi una. Jam si Vindemia nostra eandem cum istis cladem designet, in eosdem quoquè hostes incubituram necesse est. ergò in Bestiam & Pseudoprophetam. *Vitis* igitur, seu *Vinea terræ*, cujus hîc mentio, Bestiæ Ditio est. *Uvæ* ad vindemiandum *maturæ*, Bestiani sanguinis

Ad Cap. 14

reatu turgentes, maturi judicio. *Lacus* deniq; seu *Torcular*, Locus cædis. idem nimirum qui ad Phialam septimam Hebraicè interpretatus Armageddon dicitur; forsan quòd ibi ad internecionem Bestiæ turmę seu copię delebuntur. Arma enim חרמא *excidium* sonat; Gedon seu Geddon גדון *turmam, exercitum*, seu *exercitum eorum. Congregavit*, inquit, *eos in locum qui vocatur Hebraicè* Armageddon (libri à Plantino excusi simplici Δ Armagedon) *& septimus Angelus effudit Phialam suam in Aerem: & exivit Vox magna è Templo Cœli è Throno, dicens, Factum est.*

Vide Drusium Præterit. l. 10. pag. 434.

Ubi autem hic *Lacus* seu locus futurus sit, calcandarum Uvarum, adhuc in Dei arcanis est, nec igitur nobis curiosè nimis satagendum, nedum definiendum, donec aut eventus ipse patefecerit, aut eidem proximior rerum status aliquod ejus fortasse indicium præbuerit. Illud tamen monere fas erit citra temeritatis notam; Ex tam diligenti intervalli per quod Cædes extenderetur dimensione, videri posse Sp. San. ad regionem ejusmodi aliquam digitum intendere, quæ *stadia mille sexcenta* in longitudinem pateat. per tot enim stadia stragem faciendam esse docet extra Urbem, hoc est, ni fallor, in regione seu ditione Urbis. Hinc factum, ut quidam circuitione istâ Terram Sanctam designari putarent, ut quæ tot ad amussim stadia longitudine suâ colligat, id est, *Italica milliaria ducenta*, Græca verò non amplius *centum sexaginta*; quantam esse Terræ sanctæ longitudinem perhibet Hieronymus Epistolâ ad Dardanum. Græci enim, inquiunt illi, milliare suum metiebantur stadiis decem, quorum singula erant passuum centum; passus autem (quam orgyam appellant)

pellant) pedum Romanorum ſex: ità in univerſum continebat milliare Græcum 6000 pedes Romanos. E diverſo Romani paſſum quinque pedibus definiunt, ſtadium paſſibus 125, milliare octo ſtadiis, id eſt, pedibus tantùm 5000. Unde factum, ut milliare Græcum, tametſi mille paſſuum numero cum Romano conveniret, Romano tamen quintâ parte majus eſſet. Quâ ratione milliaria Romana 200 efficiunt non ampliùs 160 Græca. Hæc ratiocinii ſumma eſt. Præterea nec illud conjecturæ omnino nihil momenti addit, quòd loci nomen ARMAGEDDON Hebraicè nuncupetur, quaſi futuri in Terra Hebræorum. Sed quâ tandem ratione hoc fieri poterit? Sanè illis qui Antichriſtum ex Oriente proditurum opinantur, hæc ſententia facilis admodum & expedita eſt; nobis non item: niſi quis fortè illud veriſimile exiſtimet, Pſeudoprophetam poſt everſam Romam in Orientem migraturum, ibíq; ſedem collocaturum. quod quidem ex ipſis Beſtiæ aſſeclis non deſunt qui affirment; nempe, ante ſupremum Judicii diem Pontificem Romanum Hieroſolymis ſedem habiturum. Nam illud certè, Beſtiam, rebus ſuis domi in Occidente, in tali qualis ſupponitur ſtatu & diſcrimine conſtitutis, iterum (uti olim in expeditione Hieroſolymitana) exercitum in Palæſtinam ducturam, tot hoſtibus à tergo relictis; atque ibi demum funditus deletum iri: nullâ veriſimilitudine affirmari poſſet. Quinimo, nè nos qui Occidentalem Antichriſtum aſſerimus, illis qui Orientalem, ab hac parte inferiores ſimus, in vicino item locus eſt, cui dictus ſtadiorum numerus perinde convenit; putà STATO DELLA CHIESA, ſeu Eccle-

Ad CAP. 14

Ad Cap. 14

siæ Romanæ Latifundium, quod ab Urbe Roma usque ad ultimum Padi ostium, & paludes Veronenses porrigitur spacio milliarium Italicorum ducentorum, id est, stadiorum 1600.

Sed quò abeo? fibulam tandem curiositati imponamus, cui forsan hactenus nimis indulsimus. Ad alia deveniamus, in quibus majus sit operæpretium. Atque adeò illud imprimis attendat Lector: Non eundem esse hîc botrorum putatorem atque calcatorem torcularis: sed prout diversa sunt munia Vindemiatoris & Torculatoris, ità quoque diversos authores habere; Vindemiationem seu putationem, Angelum falce vinitoria instructum; Calcationem, Christum ipsum Regem equitatu cœlesti comitatum. id quod ex Visione capitis 19, (quàm aliquoties laudavi) liquidò constare potest. Illîc enim vidit Joannes *Cælum apertum, & ecce Equus albus, & qui sedebat super eum vocatur fidelis & verax, & cum justitia judicat & pugnat—— & vestitus erat veste aspersâ sanguine* (sanguine autem uvarum) *& vocatur nomen ejus* VERBUM DEI. *Et exercitus qui sunt in cælo sequebantur eum in equis albis, & vestiti byssino albo & mundo: Et de ore ejus prodit gladius acutus, ut in ipso percuteret gentes. Ipse enim regit eas virgâ ferreâ; & is est* QUI CALCAT TORCULAR VINI FURORIS DEI OMNIPOTENTIS—*&c.* Ecquid clarius dici potuit? Proindéque in contextu, cui lucem pro virili facimus, neutiquam dicitur, Angelum qui vindemiavit sive putavit botros, eundem quoque Lacum calcâsse; sed solummodo botros putatos *in lacum misisse.* quo facto, *calcatum esse Lacum extra Urbem.* A quo autem nisi à Christo Re-

ge,

ge, è cœlo cum cœlesti Equitatu prodeunte? Id nimirum est, quod Spiritus Sanctus significare voluit, statim additâ *Equorum* mentione: *Et exivit*, inquit, *sanguis è Lacu usque ad frænos Equorum.* Quorsum enim illud de *Equis* insertum, nisi ut hoc indicio submoneret, ab eo Lacum calcatum esse, ad quem comitatus iste equestris pertinebat? Ad Cap. 14

Ut igitur rem in pauca conferam, hæc Visionis istius Vindemialis summa est. Angelus Vindemiator, adhibitis Sanctis, quorum ad hoc negotium ei præfectura demandata est, botros Bestianos putabit abscindétque; eâque putatione suâ faciet in ARMAGEDDUNTEM congregari; congregatos demum calcabit Dominus Jesus in adventu suo: juxta quod Paulus ait de *Homine peccati* (qui ipsissima hæc Bestia est) eum à Domino destruendum fore, ἐν ἐπιφανείᾳ τῆς παρουσίας αὐτοῦ. 2. Thes. 2. 8

Utraq; autem tam MESSIS quàm VINDEMIA precibus impetratur: illa quidem (ut videtur) Ecclesiæ in universum; unde qui supplicum personam ibi sustinet Angelus, è Templo generatim prodire dicitur: hæc verò magis Martyrum & Confessorum, in quos lanienis atque tormentis sævierint impii, ac Christo victimam fecerint: propterea qui ad hanc inclamat Angelus, è Thysiasterio seu Altaris septo egreditur, atque *in ignem potestatem habere* dicitur, ignem autem martyrii. Notum verò illud in vulgus est, sanguinem Martyrum ad Deum pro vindicta clamare. Sanè enim passim testatur Scriptura, Divinum Numen Ecclesiæ, neque res secundas, neq; in hostes vindictam, citra preces suorum largiri velle. Ità ad preces Danielis solvitur Captivitas Babylonica.

Ad Cap. 14

nica. & in parabola, de Vidua iniquum Judicem clamoribus ſuis fatigante, apodoſis eſt, Deum ſimiliter precibus electorum ſuorum adactum tandem aliquando ad vindictam ſurrecturum eſſe. Adde, quòd, cùm Tubæ clancturæ eſſent, demoliendæ rei Romanæ; priùs Martyrum preces, facto ſuffitu, Deo in memoriam revocantur. Audi igitur, ô Chriſte Rex, & in memoriam apud Patrem tuum revoca tot ſupplices tuorum pro regno tuo preces, tot afflictorum & interfectorum pro nomine tuo gemitus; & cùm tempus, quod tibi opportunum videbitur, advenerit, Surge, mete & vindemia.

¶ *Hucuſque, Lector, fuſiore hoc interpretandi genere progredi potui, nec ultrà. In reliqua quæ ſuperſunt vaticinia* SPECIMINA *tantùm do; eorum nimirum partem quæ ante triennium aut quadriennium in pleraſque viſiones Apocalypticas cum amicis privatim communicaveram. Ea qualiacunque ſint, candori tuo, Lector, commendo; ûtque benignè interpreteris, obſecro: donec D. O. M. vires & otium mihi largiatur, & iſta (niſi doctorum & piorum virorum judicia abſterruerint) ſimili quo priora filo pertexendi. Porrò ſcias in hiſce, capitum ordinem adeò ad amuſſim ſervare non libuiſſe, quin* BABYLONIS *myſterium* PHIALARUM *Viſioni anteponerem; quod tamen Joannes poſtpoſuit; an quia ex Phialarum Angelis unus illud monſtraverat? an quia præcedentibus Viſionibus omnibus tanquam* CLAVEM *reſerandis ſubjicere voluit? utrumq; in cauſa fuiſſe videtur. ſed non idem interpretanti atque narranti ordo ubiq; commodus eſt.* DE

DE METROPOLI ΑΠΟΣΤΑΣΙΑΣ CHRISTIANITATIS BABYLONE MYSTICA.

Ad Cap. 17

METropolis Ἀποστασίας Babylon μυστήριον seu *myſtica*, Urbs Roma eſt, ſeu, ut nunc loquimur, Sedes Romana, ex Sponſa olim Chriſti facta non ſolùm *Meretrix*, ſed & Μήτηρ τῶν πορνῶν, Metropolis Meretricularum, id eſt, caput Chriſtiani nominis Urbium cum ipſa ſpiritualiter fornicantium. Ubi illud, Lector, vel inprimis obſerves velim (quoniam in ipſa jam Arce verſamur Apocalypſeos) non aliis hæreſibus aut erroribus ullis, quam illâ tantopere veteri quoque Iſraeli exprobratâ Mœchatione *ſpirituali*, magnam illam & catholicam viſibilis Eccleſiæ Chriſtianæ Ἀποστασίαν à Spiritu Sanct. definitam & conſignatam eſſe. Hanc igitur unicam, tanquam Cynoſuram, ab eo ſpectari oportere, quiſquis Apoſtaſiæ Chriſtianitatis initium, progreſſum, ſtatum, & decrementum, ex rerum Eccleſiaſticarum tabulis perveſtigare voluerit. In hunc ſcopum ſi intendat, vel palpari poteſt quod quæritur; ſin aliter, aut fruſtra, aut incertus erit. Sit enim licèt aliorum errorum, imò hæreſeôn, Babylon iſta rea (neq; enim novum eſt, Meretrices atque Mœchas aliis quoq; vitiis & ſceleribus infames eſſe;) quum tamen iſtarum nullâ magnam illam viſibilis Eccleſiæ Ἀποστασίαν notaverit Spiritus Sanct. proinde, aut pro ſolis Apoſtaſiæ illius ſymptomatis, aut pro erroribus adventitiis, aliorúmq; æquè temporum, & Sectarum communibus;

Ad Cap. 17 aut si magni fortè momenti hæresis fuerit, ejusmodi tamen (ut est illa de Justificatione & salute ex meritis operum sperandâ) quæ serò demum, & ætate jam provectâ admodum MERETRICE, in Ecclesiam, tanquam πλανῆς τῆς μεγάλης ἀντιμισθία, justo Dei judicio sit admissa: nè nimirum qui Dei longanimitatem, TESTIUMQUE prædicationem, tamdiu, támque pertinaciter contempserant, postmodum (utì contra protoplastas cautum fuisse legimus) *manum extendentes acciperent de fructu Arboris vitæ, comederéntq; victuri in seculum.*

Rom. 1.

Porrò illud, Lector, hoc loco singulare est, nec levi animadversione prætereundum (de quo proinde in CLAVE *Apocalyptica* te monebam;) nimirum, hanc de MERETRICE *magna*, BESTIAque ipsam bajulante Visionem, ab Angelo pręter morem suum, Joanni nobísque interpretatione longè pulcherrima reseratam esse: eo proculdubio fine, ut ejus interpretationis beneficio, utpote præcipuæ omnium Visionis, cætera quoque mysteria Apocalyptica, hactenus quidem clausa, sed ex illa mirabili artificio pendentia, panderentur. Hîc igitur adesto animis, & nè frustra, quod te attinet, Angelus operam istam sumpserit; illud probè probéque memento, Allegoriæ seu Parabolæ interpretationem (cujusmodi hæc Angeli est) novam Allegoriam aut Parabolam non esse. Nam quæ hæc insolentia esset, aut veriùs insania interpretis? quisve fructus allegoriam allegoriâ, aut parabolam aliâ parabolâ interpretandi? Nè igitur tu hîc, nescio quas, mundi ætates, aut similia attendas figmenta; quinimo Angeli fatidici, οὐκ ἔτι ἀλληγορῶντος, verùm interpretantis, mentem, pro-

prout litera ſonat, accipito; non allegoriæ, ut alibi uſuvenit, ſententiam recludendi, ſed interpretationem ejus jam datam rebus ipſis applicandi partes tibi reſtare ſciens. Ad Cap. 17

Quam ad Applicationem, quatenus Deus mihi revelaverit, ſic tibi præibo.

1.

Mulier, quam vidit Joannes Bestiæ inſidentem, *Urbs illa magna eſt, quæ tum regnum habebat ſuper Reges terræ*, ver. 18.

Applicatio. Quæ iſtæc niſi Roma eſt?

2.

Bestia eam Meretricem factam bajulans, illa Beſtia eſt, quæ etiam ante Viſionem iſtam Joanni exhibitam, aliâ quadam ſui ſpecie fuerat, ſed eâ tamen, quâ Meretricem bajularet, nondum tum fuiſſet; tali verò poſtmodum ex Abyſſo ſurrectura erat, in eáque funditùs tandem interitura: id eſt, ſpecies illa quâ Meretricem bajularet, Beſtiæ noviſſima foret, ultra quam vitam ſuam non produceret, v. 8. Sequitur eodem verſu (ut iſtoc quoque charactere agnoſcas, ipſiſſimam hanc Beſtiam eſſe c. 13. oſtenſam:) *Et mirabuntur incolæ terræ, quorum nomina non ſunt ſcripta in libro vitæ à jacto mundi fundamento, cernentes Beſtiam quæ erat, & non eſt, & tamen adfutura eſt.* Græc. παρέσται. Sic enim lego cum Editione Complutenſi, Primaſio & Syro Interprete, ut cum præcedenti deſcriptione ſenſu congruat: *Beſtia quæ fuit, & non eſt, ſed aliquando aſcenſura eſt ex Abyſſo.* Quâ verò ſpecie jam antè fuerat Bestia, quâ adhuc futurum erat ut ex Abyſſo aſcenderet; illud ex iis quæ mox ſubjungit Angelus, ſingillatim cognoſcemus.

Ad Cap. 17

Applic. Interim, si MULIER ipsa ROMA est, quid tandem esse possit Bestia isthæc multiformis, cui inequitat (id est, imperat) præter Regnum seu Imperium Romanum?

3.

Septem BESTIÆ *capita*, duplex typus, primò septem montes seu colles sunt, super quos Urbs Bestiæ metropolis sita est: deinde septem quoq; idque in iisdem (quod unitas Typi denotat) collibus (*Hoc teneas vultus mutantem Protea nodo*) Regum seu Dynastarum successivorum ordines. Quorum quidem quinque, *Regum, Consulum, Tribunorum, Decemvirorum, Dictatorum* Joannis ævo jam præterierant: Unus [*Cæsarum*] adhuc superfuerat; sed is quoque sub Cæsaribus Christianis ità mutaturus, ut quasi alius, sed brevis admodum ævi, Dynastes videretur; revera tamen non alius: noviſſimus verò, & mutati, ut jam dixi, *Cæsareatûs* respectu octavus, sed revera non nisi septimus (nam septem tantùm sunt Bestiæ capita) is ipsus est, sub quo BESTIA demum πορνικὸς esset, id est, *mysticæ Meretricis bajula*, atq; eo statu speciéq; quâ à Joanne in præsenti Visione conspecta est. Cujus nimirum ætate dici potuit, *Et jam olim eam fuisse, necdum tamen natam esse.* Olim enim fuerat BESTIA sub priorum quinque, partim etiam sexti, capitum vicibus; nondum tamen fuit noviſſimi illius (putà Pontificii) Capitis vice, quâ demum bajularet MERETRICEM.

Applic. Nunc igitur, Lector, ausculta. Si sextum BESTIÆ *Romanæ* caput, quod Joannis ætate in *Urbe septicolli* regnabat; jam à duodecim ferè seculis *ibidem* regnare desiit: necesse est, eum qui nunc ibi rerum

rerum potitur (quum nequaquam illud *quaſi-ſeptimum*, breviſq; ævi Caput dici poſſit) eſſe noviſſimum illum, longævum & verè ſeptimum *Septem collium* Dynaſten; proindéq; Statum illum, ſeu Remgentium-publicam, cui ROMA nunc incubat, diúq; incubavit, Dynaſtiam illam eſſe, quam Joannes prę-viderat MERETRICEM bajulaturam. Ad Cap. 17

4.

Decem Beſtiæ cornua, noviſſimi Capitis inſignia, decem ſunt Regna, Joannis quidem ævo nondum nata; ſed in quæ tandem BESTIÆ Romanæ corpus vice ſuâ noviſſimâ, ex Capitis Cæſarei vulnere, dilaceraretur; quæque omnem poteſtatem ſuam unanimiter conferrent BESTIÆ, ſub Capitis iſtius noviſſimi imperio, integrandæ reſtituendæque.

Applic. Atqui niſi jam indè ex quo Cæſares ROMÆ regnare deſierint, Romanum Imperium in decem pluráve Regna (etiam Gentium, Joannis ævo, ab Imperio alienarum Barbararúmque) diviſum, & dilaceratum ſit: quando, quæſo, unquam, quâve tandem ratione illud dividendum expectabimus?

5.

Decem autem illa, quæ ità coaluerint Regna, Pſeudoprophetæ Capitis ſui auſpiciis, cum AGNO pugnabunt, victoriâ tamen tandem penes AGNUM Dominum noſtrum futurâ.

Applic. Illud dudum factum eſt, hodiéq; etiamnum fit: Hoc etiam aliquatenus factum; ſed multò glorioſiori victoriâ quandoque impletum iri ſperamus.

Siquidem ex iiſdem *decem cornibus*, ſeu Regibus erunt, qui MERETRICEM, cui tamdiu bajulandæ

Ad Cap. 17

inſervierint, *odio tandem proſequentur* (quod partim impletum cernimus) *deſertam illam reddent, & nudam, carnes ejus comedent, ipſamque exurent igne.* Deus enim, cujus providentiâ factum eſt, ut tam mirabili conſenſu in hanc noviſſimi capitis Beſtiam, uſque ad tempus ei præſtitutum, coaleſcerent: idem aliquando cordibus eorum indet, ut voluntatem quoque ipſius in Metropolin ſuam MERETRICEM exequantur. Hæc Angelus.

Quod verò præterea in Parabolæ deſcriptione habetur, MERETRICEM iſtam *poculum aureum in manu ſua tenere, plenum abominationibus & immunditiâ ſcortationis ſuæ*; item *nomen ſuum in fronte ſcriptum* præferre: id Angeli interpretatione non egebat. ſiquidem utroque alluſum eſt ad Meretricum & Lupanarium olim conſuetudinem. quorum illæ in calice aureo philtra amaſiis ſuis propinare ſolebant: in iſtis cellæ meretricum nomine inſcribebantur; uti docet Tertulliani illud Lib. de pudicitia —*ſub ipſis libidinum januis, ſub ipſis libidinum titulis.* Sed clariùs Seneca Controverſ. 2. lib. 1. *Meretrix* (ait) *vocata es, in communi loco ſtetiſti, ſuperpoſitus eſt cellæ tuæ titulus.* Vide & Martialem lib. XI. Epigr. 46. Quinetiam, ſi famoſa eſſet meretrix, videtur non tantùm in cella, ſed in fronte nomen & elogium ſcriptum prætuliſſe. Innuit id Seneca loco citato: *Nomen*, inquit, *tuum pependit in fronte, pretia ſtupri accepiſti, & manus, quæ diis datura erat ſacra, capturas tulit.* Quò & Juvenalis forſan reſpexit, Sat. 6. de Meſſalinæ Auguſtæ impotenti libidine,

—*nuda papillis*
Conſtitit auratis titulum mentita Lyciſcæ.

Quòd

Quòd si illud Senecæ de cellæ fronte accipiendum sit, potest & hoc de Babylone sic accipi, neque id durum erit, propter figuræ ingenium, quæ utrumq; tam Meretricem quàm locum seu fornicem in quo prostat, comprehendit.

OCCASUS ANTICHRISTI SEU MENS SEPTEM PHIALARUM QUANTUM ADHUC INTELLIGERE DATUM EST.

Primóque De Phialis generatim.

Ad Cap. 15

PHIALARUM, Angelorúmque Effusorum historiam bifariam proponit Spir. Sanct. Primò generatim, ab initio Cap. xv. usque ad versûs 5 finem. ubi septem Angelorum septem Phialas habentium Viso summâ tenus commemorato, priusquam ad particularem, sive Angelorum sive Phialarum descriptionem ventum, alterius unà cum illis Visionis exhibitæ narratio instituitur, qua Ecclesiæ, fervente Effusione, status figuratur, ab inquinamentis & sordibus idololatricis, in sacro illo ex materia non æneâ, ut Solomonis, sed crystallino Templi labro, seu *Mari* ablutæ, totóque effusionis tempore *Victoriam* de Bestia superata cantillantis; idq; dum adhuc Labri ipsius crepidini insistebat, quasi vix dum balneo, quo sese abluerat, egressa.

Deinde

Ad CAP. 15

Deinde ad Angelorum amictum apparatúmque, Phialáſque ſpeciatim deſcribendas acceditur, ab illis verſûs 6 verbis, Καὶ ἐξῆλθον οἱ ἑπτὰ ἄγγελοι οἱ ἔχοντες τὰς ἑπτὰ πληγὰς, ἐκ τοῦ ναοῦ, &c. *Et exierunt ſeptem iſti Angeli habentes ſeptem plagas, è Templo, induti lino mundo & ſplendido, & præcincti circa pectora zonis aureis,* id eſt, habitu & cinctu * Sacerdotali ornati. Cave enim, nè verba, quæ poſuimus, cum illis verſûs præcedentis conjungas, ſiquidem quod ibi dicitur de *Templo Tabernaculi teſtimonii in cælo aperto,* id non ad initium, ſed eventum Phialarum pertinet. ſcilicet Templum, quod, interim dum Phialæ effundebántur, *impletum erat fumo à Majeſtate Dei, & à virtute ejus,* adeò ut *nemo ingredi poſſet,* ver. 8. (alluſum eſt, tum ad Tabernaculi Exod. 40. 34. tum ad Templi dedicationem ſeptiduanam, 1. Reg. 8. 10. 2. Paralip. 5. 13.) peractis demum Phialis ità ſerenabit; ut ipſa *Arca teſtimonii* [Chriſtus] conſpicua futura ſit: uti habetur ad ſeptimæ Tubæ clangorem [cap. 11. ver. ult.] quacum noviſſimam Phialarum contemporare, oſtenſum eſt *Synch. 3. Part. 2.*

* Ezech. 44. 17, 18. Majemon. de Vaſis Sanctuarii, c. 10. Sect. 1.

DE PHIALIS SINGILLATIM

Hypotheſes.

Ad CAP. 16

1. EFfuſio Phialarum ſignificat Ruinam BESTIÆ *Antichriſtianæ.* apparet ex textu, de quo vide *Synch. VII. Part. 1.* Quemadmodum enim prior illa & antiquior Regni Romani πολιτεία, Tubarum: ità noviſſima hæc, Phialarum plagis ſubruenda eſt. Hæc tantæ inter utraſq; ſimilitudinis cauſa eſt, quum & prioris Politiæ Romanæ poſtrema hæc imaginem gerat.

2. Septem

2. Septem Phialæ totidem ſunt iſtius Ruinæ gradus. Sicut enim BESTIA gradatim ſuccrevit: ità gradatim quoque abolenda eſt. Ad Cap. 16

3. Quicquid tandem ſit, in quod Phialarum quæque effunditur; id damnum & jacturam patitur à Phiala; quum Phialarum effuſio, ſit effuſio iræ Dei [cap. 15. v. 1.] Nulla igitur interpretatio hîc ſtare poteſt, quâ Phialæ effuſio in bonum ejus cedat in quod effunditur.

4 *Terra, Mare, Fluvii, Sol,* aliquid ſunt de BESTIA Antichriſtiana inſtar Terræ, inſtar Maris, inſtar Solis. Nam Phialæ omnes in BESTIAM effunduntur: ergò & ſingulæ in aliquid BESTIÆ, aut ſaltem quod BESTIÆ ſaluti inncxum, cjúſque intereſt.

5. Totum BESTIÆ corpus, ſeu Univerſitas Antichriſtiana, à Spiritu San. ſimiliter ut in Tubis factum, tacitè comparatur Syſtemati mundano, cujus partes ſunt Terra, Mare, Flumina, Cœlum, Luminaria: ità ut *Terra* in Univerſitate Pontificia dicatur id, quod ſit inſtar Telluris in Mundo phyſico; *Mare,* quod ſit Maris inſtar; *Fluvii,* quod Fluviorum; *Sol* quod Solis.

6. Denique (ut jam ſemel iterúmque monuimus) quoniam Deus Angelos adhibet providentiæ ſuæ, in rerum humanarum motubus & converſionibus ciendis gubernandíſque, adminiſtros: idcirco quæ multorum manibus peraguntur, Angelo tamen tanquam rei gerendæ Præſidi & Duci, pro communi loquendi more, tribuuntur.

Ad Cap. 16

Expoſitio Phialarum ad amuſſim Hypotheſeon.

PHIALA I. In Terram *Univerſitatis Beſtianæ.*

TERra in Univerſitate Antichriſtiana deſignat populum, ſive vulgus Chriſtianum, ſcabellum (proh pudor!) Antichriſti; cui tanquam Baſi ſuperſtructa moles illa Hierarchico-papana, inſtar Turris Babylonicæ —*vertice ad auras Ætherias tendit.*

In hanc *Terram* Beſtianam effusâ Phialâ; eam ab effuſione affectionem contraxit, ut Beſtiæ ſectatores furiis & intemperiis tanquam *ulceribus* impleret, iiſdémq; tetris adeò & malignis, ut ſanari non potuerint; ſed nec cicatrice ullâ obduci, quâ non diruptâ illico renovarentur.

Hoc impletum, cùm vulgus Chriſtianum, Waldenſium, Albigenſium, Wiclifiſtarum, Huſſitarum, aliiſq; nominibus appellatum, authoritati Beſtiæ paſſim renunciare cœpit, Romam Babylonem *Apocalypticam* clamitans, Papam Antichriſtum. Quo Terræ ſuæ jam zelo Dei torridæ afflatu pulſati Beſtiani, doloris & indignationis *ulceribus* toti excanduerunt; quibus in rabiem acti ferro & flammâ per annos complures mirabiliter ſævierint; ſed fruſtra; quippe *ulcere malo* & inſanabili percuſſi, quod quò magis ſeſe commovebant, eò indies ingraveſcebat magís. Sic olim Terra Ægypti pulvere cinereo divinitus conſperſa, Pharaonitas omnes cum jumentis ſuis ulceribus oppletos reddidit. Orbis autem Beſtianus jam cap. XI. Ægyptus πνευματικὸς perhibetur, proin-

Exod. 9. v. 8, 9.

proindéque hîc plaga ulceris πνευματικῶς, id eſt, myſticè, & ex analogia interpretanda: id quod in duarum quoque ſequentium Plagarum figuris, ex eadem hiſtoria petitis, diligenter obſervandum eſt. Ad Cap. 16

PHIALA II. In Mare *Mundi Beſtiani.*

Mare in mundo Antichriſtiano eſt communionis Pontificiæ comprehenſio, quâ non ſinguli tantùm Chriſtiani, ſed integræ gentes, populi, regna, provinciæ, diœceſes, alioquin inter ſe disjuncta divulſâque, in unum congregantur: vel ſic: *Mare* Antichriſtianum eſt Juriſdictionis ſeu Ditionis Pontificalis ambitus, homines & gentes Chriſticolas circumplectens & involvens, ſicut Mare Terram.

In hoc *Mare* Phialâ ſecundâ effusâ, factum eſt illico, *ut cruor cadaveris*, ſeu ſanguis gelidus & concretus, qualis mortuorum & occiſorum, ſeu membri abſciſſi eſſe ſoleat; cùm ſoluto cum vitali fonte commercio, ſpiritûs caloríſque influxu deſtituitur. Senſus eſt, Mare Pontificale, quaſi morte, truncatione, lanienâ mactatum eſſe.

Hoc autem impletum, cùm Luthéri cæterorúmq; illuſtrium illius ævi Eccleſiæ Reformatorum operâ, Deo cœptis mirabiliter aſpirante, non jam è Chriſtianitatis vulgo ſolummodo ſingulæ aliquot perſonæ, quinimo integræ Provinciæ, Diœceſes, regna, nationes, urbes communioni Beſtianæ renunciârunt, magnâque ampliſſimæ olim Ditionis mutilatione factâ, à corpore Beſtiano avulſæ receſſerunt. Quo

Ad Cap. 16

casu *Mare* ditionis Pontificię evasit magnâ suâ parte mortuum, instárque *cruoris cadaveris*; in quo Animalia Pontificia spirare ampliùs & vivere non potuerint.

PHIALA III. In Flumina et Fontes *Mundi Bestiani*.

Flumina & Fontes aquarum Orbis Bestiani, sunt Jurisdictionis Antichristianæ Ministri & Propugnatores; sive Ecclesiastici, ut Jesuitæ, aliíque Sacerdotes emissarii; sive etiam Seculares & Laici, ut Pugiles Hispanici. quorum utrisque, ut à Jurisdictione ista, causam, quam Catholicam vocant, procurandi promovendiq; mandatur munus, perinde ut Flumina originem suam ducunt ex Mari: ità quoque eidem amplificandæ & conservandæ, operam & opes suas conferunt, sicut & Flumina ad Mare revertuntur.

Hæc autem *Flumina*, dum alveos suos, quò jam illis ultrà integrum non erat, temerè prosequuntur: justo Dei judicio, à tertiæ Phialæ effusione cruentanda veniunt, quomodo & ipsi *Sanctos Dei & Prophetas ejus* jam olim cruentâssent. Nempe ab hac Phiala res Bestiana in eum statum deventura esset, ut Ministri & Propugnatores ejus, jam mutatis vicibus, easdem cædes perferre cogerentur, quibus *Sanctos & Prophetas Dei*, florente ipsorum dominatione, mactare consuevissent. ut diserte habetur ver. 5, 9. tanquam Clavis parabolæ reserandæ.

Quod de Emissariis Ecclesiasticis cum assecl is suis

is tunc impletum opinor, quum in Anglia noſtra, glorioſæ memoriæ Eliſabethâ regnante, atque etiam poſtea, ſanguinarii iſti authoritatis Beſtianæ procuratores, etiam latis eo nomine legibus, procurationem ſuam ſanguine (quod iis antea nunquam ſic acciderat) luerunt. Nec iſti ſolùm, ſed qui iſtis multo formidabiliores fuerint, cauſæ Beſtianæ Pugiles Hiſpani, ſuam Eccleſiæ Romanę ditionem armis recuperaturi, ſanguinem ſitientes, ſanguinem, clade prę ſertim illâ memorabili anni 88, & ſequentium aliquot annorum, plenis hauſtibus biberunt; Anglis & Belgis, terrâ maríque, calicem potenti Dei manu affatim infundentibus. Adeò ut juſtis & veris Dei in utroſque judiciis, non ab Inſulanis tantummodo ipſis, ſanguinem ſuorum olim effuſum jam ulciſcentibus; ſed etiam à vicinis Gallis ſub cruce adhuc & Altari, imò recenti tum lanienâ, anni 1572, gementibus, mirificè acclamatum fuerit. Atque hucuſque Phialæ progreſſæ videntur. reliquæ adhuc effundendæ ſuperſunt. Ad Cap. 16

PHIALA IIII. In Solem. *Cœli Beſtiani.*

SOL quid ſit in Mundo Beſtiano, ut indagemus; prius, quid *Cœlum* ibi ſit, pervidendum eſt, nè alioquin analogiæ filo deſtituti, nimium quantum à ſcopo aberremus. Sol enim, non niſi in Cœlo ſibi congruo ponendus aut concipiendus eſt. *Cœlum* igitur Mundi Antichriſtiani, vel eſt ipſa ſuprema & univerſalis poteſtas Pontificiæ, vel omnino quic-

Ad Cap. 16

quid uſpiam eſt ſublimioris, regiæque poteſtatis in Mundo iſto Beſtiano, id eſt, in tota Univerſitate Provinciarum Pontificem Romanum pro Capite agnoſcentium. Ità enim in Mundo phyſico, totum id quod ſurſum eſt, ſupráque terram & aquas, notione Hebræorum & Spiritûs San. *Cælum* appellatur. Jam in iſtoc *Cælo* Antichriſtiano (ad naturalis Cœli typum) plurimæ ſunt *Stellæ*, diverſæque magnitudinis, Principes, Duces, Præſules, Reguli, Reges. Sunt & *magna Luminaria* inſtar *Solis* & *Lunæ*. quæ omnia *Cæli* iſtius motu circumaguntur, ex ejúſque lege viciſſitudines ſuas obeunt. Ex iſtis verò ſplendidiſſimum, & longè omnium, quæ in Papali firmamento radiant, maximum Luminare eſt Imperium Germanicum, Domûs Auſtriacæ, jam à ducentis plus minus annis, peculium. Annon igitur hic Sol eſt illius Cœli?

In hunc verò Solem Phiala quarta jam jámque eſt effundenda; ut is Cœlo Beſtiano revulſus, alióq; radians, æſtu & ardore, ad blaſphemiam uſque, torreat torqueátque Orbis Antichriſtiani indigenas, quos antea calore & jubare ſuo multùm recreare ſolebat.

Atque ecce, dum hæc, quæ pridem commentatus eram, in lucem edo, fama totum Chriſtianum Orbem, piis gratulantibus, implevit, adveniſſe jam tandem Vindicem Dei ab Aquilone, ut afflictæ & laboranti Germaniæ ſuccurreret; Regem Pium, Felicem, & quaquà venit, Victorem, cujus ſucceſſus Aquilæ volatum ſuperent. Annon hic eſt, quem Dominus exercituum ad hujuſce Phialæ opus exequendum deſtinavit? Ità ſpero, & precor animitus.

mitus. *Accingere igitur gladio tuo,* REX MAGNE, *prosperè procede & regna, propter veritatem, mansuetudinem & justitiam; nam deducet te mirabiliter dextra tua.* Ad Cap. 16

PHIALA V. IN THRONUM BESTIÆ.

PHiala quinta in Thronum seu Sedem Bestiæ effundenda est; hoc est, in ROMAM *ipsam.* ubi nullo ampliùs Spiritus San. rem abscondit figurarum aut allegoriarum velò; fortè propter ingens tunc oriturum Vaticiniis istis lumen, hoc quasi Mercuriali signo conspecto, quo non ultrà erit ambiguum, quantum itineris Phialæ jam confecerint, quantúmve adhuc iis conficiendum restet.

Hac verò URBIS *Romanæ* clade (quam illam ipsam esse puto, quæ Testium resurrectionem ascensionémque exceptura dicitur, cap. 11. v. 13.) Nomen Pontificium non quidem penitus interibit, sed gloriâ & splendore suo deinceps spoliabitur, adeò ut *linguas mordeant præ dolore:* interim tamen, in impœnitentia sua adhuc obfirmatis animis perseverantes, doloribus suis ad ulteriorem blasphemiam abutentur.

PHIALA VI. IN EUPHRATEM.

PHiala sexta effundetur in *Flumen illud magnum* EUPHRATEM, ut eo exsiccato, transitus paretur novis

Ad Cap. 16 novis Beſtiæ hoſtibus ab Oriente venturis; hoc eſt, Iſraelitis ad puram Chriſti fidem cultúmque mirabiliter convertendis, jámque Regni tot ſeculis promiſſi candidatis. Quos Beſtiani forſan, ſic ulciſcente Deo erroris pervicaciam, pro fictitii Antichriſti ſui ex Judæis oriundi exercitu fine habituri: cujus & nos prodromos eſſe, hodiéq; aſſerere non dubitant.

Hoſce autem *Reges ab ortu Solis*, ut dicitur, *venturos*, ut de Judęis accipiam, duo faciunt. Primò, quòd penultima hæc Phiala eſt; ad quam proinde niſi Judæi converterentur, neceſſariò futurum eſſet, ut cum reliquis Chriſti hoſtibus, in quorum numero & ipſi adhuc eſſent, in magno illo univerſalis ultionis & Judicii Die, quam proxima & noviſſima Phiala ſuperinducet, perderentur. Deinde me huc adducit eodèm ſpectans Iſaiæ locus, unde hunc Apocalyſeos mutuatum eſſe, perquam veriſimile eſt. *Et deſolabit* (inquit cap. 11. v. 15,16) *Dominus* (malim, *Quemadmodum deſolavit Dominus*) *Linguam Maris Ægypti, &* (malim, *ità*) *levabit manum ſuam ſuper* FLUMEN (Targ. *Flumen Euphratem*) *in fortitudine Spiritûs ſui, & percutiet eum in ſeptem rivos, ità ut tranſeant per eum calceati.* 16. *Et erit via reſiduo populo meo, qui relinquetur ab Aſſyriis* (ergò Euphrates intelligitur) *ſicut fuit in die illa, quâ aſcendit de terra Ægypti.* Videat Lector Zach. 10. ver. 10,11. ibíque Chaldæum Paraphraſtem.

Sed quid tandem *Euphratem* hunc eſſe, cujus aquę ſiccabuntur, dicemus? Annon enim juxta literam id accipiendum ſit, præſertim in Iſaiæ loco, aliquatenus dubito. Interim huic Apocalypſeos malim parabolæ & allegoriæ nonnihil, nec tamen adeò multum

multum aſpergi; ut reliquarum Phialarum analogia de effuſionis objecto hîc quoque ſarta tecta maneat. Habitura enim videtur, non ſecùs ac vetus illa, ſuum quoque Babylon myſtica *Euphratem*; Imperium, opinor, Ottomanicum, unicum futurum novis iſtis ab Oriente hoſtibus obſtaculum, Beſtiæq; ab ea parte munimentum. Neque hujuſmodi *Euphratis* intellectus abſq; Iſaiæ ipſius exemplo erit, qui cap. 8. ver. 7. ſimili *Euphratis* parabolâ Aſſyrium exercitum ejuſdem Fluminis accolam expreſſit. *Dominus*, inquit, *faciet, ut aſcendant contra iſtos* (Syros & Iſraelitas) *aquæ illius* FLUMINIS (ſic Euphrates κατ' ἐξοχὴν dici ſolet) *fortiſſimæ & ampliſſimæ*, REX ASSYRIÆ *& omnis gloria ejus* (Targum, *exercitus ejus*) &c. Quidni jam pari ratione *Euphrates* iſte Phialarum de Turcis acciperetur? non minùs utique quàm Aſſyrii, Euphratis, ante exundationem ſuam, accolis, imò ejuſdem tractûs incolis. Huc non parum facit, quòd *Solutionem* ingentis illius & diu vincti *ad magnum Flumen Euphratem* exercitûs equeſtris, ad ſextæ Tubæ clangorem, cap. 9. ver. 15. de TURCIS indè in Orbem Romanum exundaturis, Tubarum ſeriem, reíque concinnam veritatem ſecuti, interpretati ſumus.

Ad CAP. 20 &c.

Vide Jer. 47. 2. &c.

Per ſextam igitur Phialam exſiccabitur Diluvium iſtoc Euphratæum. Planè juxta quod c. XI. dicitur, proximè poſt illam URBIS cladem in magno terræmotu futuram (quam ſuperiori Phialæ ibi aptavimus) VÆ *ſecundum*, id eſt, ſextæ Tubæ plagam, *abiturum*. Id verò quâ ratione, quibúſque tandem authoribus ſit futurum; utrúmne ab ipſis Judæis (quod forſan Ezechiel innuit cap. 38. & 39.) Ter-

Ad Cap. 16

ram ſanctam poſtliminio occupaturis; an ex diſſidio aliquo inteſtino horum reditum commodè præceſſuro; an utroque forſan, ſed ordine & deinceps, an aliâ causâ; fruſtra conjectando, utpote re adhuc totâ futurâ, laborabimus. Quicquid ſit, hoc obice remoto, *viam* aliquò eundi *parari* dicitur novis iſtis ab Oriente Chriſtianis; ídque expeditionem, ut videtur, contra Beſtiam facturis; cujus exitio Phialæ omnes inſerviunt. Unde enim alioquin & quamobrem tanta ab hac ſiccatione trepidatio, & pavor Beſtianos, imò Dæmones, ut videtur, ipſos eveſtigio inceſſeret, ut tam horribili & inaudito ad bellum apparatui, qualis hîc deſcribitur, cauſam daret; niſi ipſi jam cum tota cohorte Diabolica, extrema quæque à novorum iſtorum Orientis Regum acceſſione metuerent?

PHIALA VII. In Aerem.

SEptima & noviſſima Phiala in Aerem effunditur, id eſt, in Potestatem *Aeream*, ſeu Sataną; non *Beſtiæ* tantummodo, ſed omnium ubicunque terrarum Chriſti Domini noſtri hoſtium Ditiones ſinu ſuo complectentem atq; animantem. Ex hac autem, ut ſpiritum & vitam jam ab initio duxit Beſtia; ità ejus præcipuè virtute & auſpiciis nitentur noviſſimæ Beſtianorum fortunæ: id quod tum ex tot fœderum auxiliorúmq; in Phialæ hujus noviſſimæ bellum apparatu, artibus, ut perhibetur, Diabolicis conciliando, conſtare poteſt; tum ex eo quòd Draco Satanas jam, non ſolùm per Vicarios ſuos

ſuos Beſtiam & Pſeudoprophetam, res ſuas in Exercitu iſto Oecumenico conflando ſatagat; ſed ipſe per ſe, tanquam in ultimo Regni ſui diſcrimine, partes quoque proprias & peculiares videatur habiturus, [v. 13.] illis præſertim in Belli hujus ſocietatem evocandis, apud quos alioquin Beſtia & Pſeudopropheta, ut nequaquam authoritate, ità nec gratiâ, aut communis forſan periculi repreſentatione valuiſſent Ad Cap. 16

In tot igitur hoſtes, *Aereæ Poteſtatis* auſpiciis, in unum congregatos, atque Armageddunte, quaſi in cavea concluſos, Phiala ſeptima, non humanâ jam ampliùs manu, ſed cœleſti & fulmineâ vindictâ (*magni enim illius Diei, & Dei omnipotentis prælium eſt*) detonabit. Hac Beſtiæ excidium penitus conſummabitur; neq; cellæ tantùm, ſeu Urbis Babylonis, ut priùs ſub Tuba quinta, ſed Civitatis ipſius, id eſt, Senatûs populíque Babylonici, ubi ubi poſt Urbis cladem ſuperfuerit, adhæc Regum, Civitatúmque omnium eouſq; cum idolis & Deaſtris fornicantium, reliquorúmq; Sanctam Chriſti Eccleſiam unà oppugnantium tyrannorum exterminium in ſolidum peragetur.

DE MILLE ANNIS TUBÆ SEPTIMÆ, CÆTERISQUE EIDEM *contemporantibus rerum mirabilium Vaticinia.* Ad Cap. 10 &c.

HIc breviter, Lector, quod ſentio, abſolvam, neque in re ob inveterata jam diu præjudicia incredibili, omniúmque totius Scripturæ prophe-

Ad Cap. 20 &c.

ticæ abſtruſiſſimâ, maximéq; admirandâ, orationem nimis diducam. In tanto myſterio ſat erit rem generatim tenere, neque ſingulorum rationes curioſiùs inquirere: nè liberiùs fortè quàm par eſt expatiânti, illud Solomonis occinatur, *In multitudine verborum non deerit prævaricatio.*

Pro. 10. 19.

Rem verò ipſam quod attinet, ea irrefragabili ordinis Apocalyptici ſequelâ, quam antea demonſtravi, nititur; eandémq; reliquarum Scripturarum, præſertim propheticarum, conſenſus mirificè confirmat. Id adeò proximi poſt Apoſtolos ſeculi Chriſtianis fuit perſpectum, ut Juſtinus Martyr, non ſeipſum ſolum, ſed, *ſi qui eſſent* tunc temporis *orthodoxæ per omnia ſententiæ Chriſtiani*, ſummâ idipſum conſenſione credidiſſe atteſtetur.

Dial. cum Tryphone

Quam tamen primorum Chriſtianorum ſententiam, ſive aſſumentis quibuſdam poſtmodum deformatam, ſive iniquè & perperam (ut quidem arbitror) intellectam, rejecerunt eorundem poſt unum & alterum ſeculum poſteri: eouſq; tamen, priuſquam res confici potuit, progreſſo (quod meritò mireris & doleas) contentionis ardore; ut qui aliter ſeſe ab adverſariæ ſententiæ vi, Apocalypſeos fundamento ſubnixâ, expedire nequiſſent; diviniſſimam, omnibúſq; Apoſtolorum diſcipulis, proximíſque eorum ſucceſſoribus teſtatam & conſignatam Prophetiam, in dubium potiùs vocare, imò confictis in eam rem præſumptionibus authoritatem ejus apertè & audacter elevare, quàm ſuccumbere & victas manus dare, maluerint: donec tandem commodam MILLENNII iſtius interpretationem (ut ipſi quidem tum rebantur) nacti, incolumi relictâ

ctâ Apocalypseos authoritate, ab incœpto, impietatis crimini haud facilè eximendo, posterísque tremendo quieverunt.

Ad Cap. 20 &c.

Ego verò, Lector (nè te diutiùs in vestibulo distineam) ità rem totam expediam, ut à sententia recepta, de Die adventûs Christi, excidium Antichristi evestigiò secuturo, quàm minimùm fieri possit, abiisse videar. Tu rem, omni semoto præjudicio, in Dei timore expendas, mihíque, sicubi erravero, ex charitatis judicio ignoscas. Sic igitur habeto.

TUBAM SEPTIMAM cum tota ΧΙΛΙΕΤΗΡΙ'ΔΙ, cæterísque eodèm spectantibus oraculis, designare MAGNUM illum, priscæ Ecclesiæ Judaicæ, Christóque & Apostolis ejus celebratum JUDICII DIEM יום דינא רבא, non breve aliquot (ut vulgò creditur) horarum spatiolum, sed (pro more Hebræorum, *Diem* pro *tempore usurpantium) continuatum multorum annorum intervallum, duabúsq; Resurrectionibus, tanquam terminis, circumscriptum: DIEM, inquam, à particulari primùm, & quasi matutino Antichristi, cęterorúmque vivorum Ecclesiæ hostium *Judicio*, per gloriosam Domini nostri ἐν πυρὶ φλογὸς ἐπιφάνειαν, inchoandum; tandémque post MILLE ANNORUM regnum Novæ Jerusalem Sponsæ suæ sanctissimæ, in his terris, indultum, novorúmque adhuc suboriturorum, DIE *magno* advesperascente, Satanáque iterum soluto, hostium πανωλεθρίαν, Universali demum omnium mortuorum, tum Resurrectione, tum Judicio absolvendum. Quibus peractis, Impii in Gehennam æternùm cruciandi, Sancti verò in Cœlum cum Christo æternùm victuri transferentur.

* Apud Prophetas passim (ut cùm dicunt, *In die illo*) & alibi in V. T. In novo autem Matth 6.11 cum Luc. 11.13. Joan.16.26 2.Cor.6.2. Heb.3.8,9, 13, &c. item cap.4. Denique 2.Pet.3.v. ult. ubi ἡμέρα αἰῶνος,

Ad CAP. 20 &c.

Hoc nimirum est Tempus illud Dei in gentes iræ, mortuorúmque propter Christum causæ judicandæ, de quo ad septimæ Tubæ clangorem, cap. XI. Presbyteri ovantes gratulantur; *Quòd eo utique Deus daturus est mercedem servis suis Prophetis & Sanctis, & timentibus nomen ejus, parvis & magnis, eósq; perditurus qui perdunt terram.*

Hic est DIES *ille Judicii & perditionis impiorum hominum*, de quo Petrus 2. Epist. c. 3. v. 7. locutus, statim subjicit: *Unum verò hoc non lateat vos, charissimi* (nempe quòd *Diem* modò dixi) *unum Diem apud Dominum esse sicut Mille anni, & Mille annos sicut unus Dies.* Quo eodem enimvero *Die* Apostolus cum fratribus & contribulibus suis Judæis (ad quos scribit) Novam illam rerum faciem futuram expectat, de qua mox inquit; NOVOS VERÒ CŒLOS ET NOVAM TERRAM, *secundum promissum ejus, expectamus, in quibus justitia habitat.* Nota, *secundum promissum ejus.* Ubi autem extabat hæc de *Cœlis novis* & *Terra nova* promissio (quum nondum Joannes Apocalypsin vidisset) nisi Isaiæ cap. 65. 17. & 66. 22? Quam certè Promissionem qui legerit, mirarer, si eam alibi, quàm in his terris existimaret impletum iri.

Hoc quoq; est Regnum illud cum Christi Mundum judicaturi παρουσία conjunctum; de quo Paulus ad Timotheum, 2. Epist. cap. 4. *Obtestor te coram Domino nostro Jesu Christo, qui judicaturus est vivos & mortuos in* APPARITIONE *sua, &* REGNO *suo.* Nam post ultimam ac universalem Resurrectionem, eodem teste, 1. Cor. 15. Christus *Morte, hostium ultimo, sublatâ, Regnum tradet Patri, ut ipse subjiciatur*

ciatur ei, qui ei ſubjecit omnia; nedum ut tunc novum aliquod regnum inire dicatur. Quod igitur Regnum, neque ante Domini noſtri ἐπιφάνειαν, neque poſt ultimam Reſurrectionem eſt futurum, id neceſſariò inter utrunque eſt concludendum. Ad Cap. 20 &c.

Hoc eſt Regnum illud, quod Daniel vidit, *Filii hominis*, expletis Cornu Antichriſtiani *temporibus*, ſeu *finitis temporibus Gentium* (Luc. 21. 24.) *apparituri in nubibus cæli*, quando *ei dabitur poteſtas, gloria & regnum; ut omnes populi, nationes, & linguæ ei ſerviant:* ſeu quando (ut Angelus mox exponit) *Regnum, poteſtas, & amplitudo regnorum ſubter omne cælum* [N. B.] *dabitur populo Sanctorum Altiſſimi.* Dan. 7. 13, 14. item 18. 22, 26, 27. Neque enim (ut modò dixi) Regnum hoc poſt ultimam Reſurrectionem eſt futurum: quandoquidem tunc Filio *hominis*, non regnum ineundum eſt; ſed, Paulo teſte, deponendum & Patri tradendum. De eodem autem Regno utrobique, tum apud Joannem, tum apud Danielem agi, duobus hiſce argumentis evinci poteſt. Primùm, quòd utrunque ab eodem termino, nempe Beſtiæ quartæ ſeu Romanæ exterminio, ineat: Illud Danielis, quando Beſtia ſub noviſſimo illo Cornu oculati regimine agens, *neci data fuit, & corpus ejus traditum combuſtioni Ignis*, Dan. 7. 11, 22, 27. Illud Apocalypſeos, cùm Beſtia & Pſeudopropheta (improbum illud Cornu apud Danielem, os & oculos capitis inſtar habens) *apprehenſi ſunt, & ambo vivi miſſi in Stagnum ignis ardens ſulphure.* Secundò, ab eodem Judicii conſeſſu utriq; premiſſo. alterum enim ab altero mutuatum eſſe, atque in eandem omnino rem intendere, collatis utriuſq; deſcriptionis verbis apparebit. Dan.

DAN. cap. VII.	APOC. XX. 4.
v.9. *Videbam donec throni positi sunt.* Ità enim cum Vulg. LXX. & Theod. reddendum; sequè vox רמה seu רמי de solio usurpatur in Targum ad vers. 15. cap. I. Jeremiæ.	*Et vidi thronos.*
10. *Et Judicium sedit.* Id est, Judices, ut in magno Judæorum Synedrio, ad cujus normam tota descriptio conformatur.	*Et sederunt super eos.*
22. *Et Judicium datum est Sanctis excelsis.* Id est, potestas judicandi. Hinc illud Pauli, *Sancti judicabunt mundum.*	*Et Judicium datum est illis.*
Et regnum obtinuerunt Sancti: Scilicet cum Filio hominis, qui veniebat in nubibus cœli.	*Et Sancti vixerunt & regnârunt cum Christo Mille annis.*

Porrò illud Lectorem monitum velim. Quicquid ferè à Judæis sani, quicquid à Domino in Evangelio, vel uspiam in N.T. ab Apostolis de Die Judicii magni proditum est; id ex hac Danielis Visione haustum esse; nempe Judicium illud igne peragendum, venturum Christum in nubibus cœli, venturum in gloria Patris cum multitudine Angelorum, Sanctos cum eo Mundum judicaturos, Antichristum abolendum ἐν τῇ ἐπιφανείᾳ τῆς παρουσίας αὐτοῦ, &c. Ut omnino fidei Evangelicæ de glorioso Christi adventu columnam subductum eant, qui, vetustâ Ecclesiæ traditione neglectâ, prophetiam istam aliò transferre conantur.

Denique, ut finem faciam; Hoc est Regnum illud amplissimum, quod, Daniele interprete, in statua illa quatuor Regnorum fatidica, Nebuchadnesari præmonstratum fuit: Non illud LAPIDIS, superstite adhuc Monarchiarum serie ex monte abscissi (nam hic præsens Regni Christi status est) sed LAPIDIS, iisdem funditus comminutis & deletis, in MONTEM evasuri atq; universum impleturi terrarum Orbem.

Hæc ità, Lector, disserui, non temerè asserui. Rem verò totam Ecclesiæ ex verbo Dei arbitrandam defero: cujus judicio, ut par est, meam de hoc mysterio sententiam lubens submitto.

JUSTINI MARTYRIS
DIALOGO CUM
TRYPHONE JUDÆO
LOCUS INSIGNIS DE MILLENNIO REGNI CHRISTI
EMENDATUS ET NOTIS ILLUSTRATUS.

TRYPHO.

DIc autem mihi verum; vósne locum hunc Jerusalem denuo instaurandum fatemini, & populum vestrum congregatum, atque lætitiâ evectum iri cum Christo simul & patriarchis & prophetis & his qui generis nostri sunt[a]; aut etiam eorum, qui ante Christi vestri adventum [b] proselytæ fuere, expectatis? an, ut videare nos superare in quæstionibus, eò decurris, ut ista fateare?

JUSTINUS.

Non sum eò miseriæ redactus, ô TRYPHO, ut alia, quàm sentio, loquar. Confessus sum tibi & anteà[c], me quidem & alios complures mecum sentire, id, sicut planè scitis, futurum. Πολλὰς δ' ἂν ἔχω

[a] Qui generis nostri sunt] *vel erunt; ut ad Judæorum vocationem referatur.*

[b] Ante Christi vestri adventum proselyt.] *Ità distinguendum & vertendum. Nam interpres Langus non videtur hic Justini mentem assecutus. Ità enim vertit, ac si Trypho quæreret, an hæc omnia ante Christi nostri adventum (nempe secundum) futura essent. Omnino præter authoris mentem.*

[c] Antea] *Scilicet in hoc ipso cum Tryphone Dialogo, quod tamen jam nusquam comparet, sive consilio, sive fraude eorum, quibus Justinus in hac sententia non placuit.*

τῶν [οὐ] τῆς καθαρᾶς καὶ εὐσεβοῦς ὄντων χριστιανῶν γνώμης, τοῦτο μὴ γνωρίζειν, ἐσήμανά σοι. τοὺς γὰρ λεγομένους μὲν χριστιανοὺς, ὄντας δὲ ἀθέους καὶ ἀσεβεῖς αἱρεσιώτας, ὅτι κατὰ πάντα βλάσφημα καὶ ἄθεα καὶ ἀνόητα διδάσκουσι, ἐδήλωσά σοι. .i. E contrà verò, eorum, qui puræ piæque Christianorum sententiæ [non] [d] sunt, multos hoc non agnoscere tibi significavi. eos enim tibi designabam, qui nomine quidem Christiani dicuntur, sunt verò athei & impii hæretici, quòd omnino blasphema & impia & stulta doceant. Ut autem non tantummodo apud vos me hoc dicere sciatis, disputationum harum nostrarum omnium, quoad potero, opus componam: ubi hoc ipsum me profiteri, quod coram vobis fateor, conscribam. Non enim homines aut humanas doctrinas, sed Deum & disciplinam ab eo traditam consectandam mihi esse statuo.

Nam tametsi cum quibusdam verba communicâstis, qui Christiani dicuntur, atq; hoc ipsum non confitentur, sed maledicere audent Deo Abraæ, & Deo Isaaci, & Deo Jacobi; quíque dicunt, non esse mortuorum resurrectionem [e], verùm simulatque

[d] Qui puræ piæque Christianorum sententiæ non sunt] *Negatio in nostris libris intercidit. Sed omnino cum negatione legi oportere, manifestum est, tum ex verbis proximè per epexegesin subjunctis (subdit enim, se eos intellexisse, qui nomine quidē Christiani dicuntur, sunt verò athei & impii hæretici) tum ex sequenti orationis serie; ubi eadem quæ hic de contrasentientibus dixerat, denuo & quidem satis fusè inculcat; esse nimirum tantùm nomine tenus Christianos, & eodem censu habendos, quo Sadducæi & similes hæretici sunt apud Judæos. Hæc tamen, utut manifesta, cùm Interpres non viderit, neque aliàs ex epexegesi quam dixi, ullum sensum congruum elicere potuerit, transferendo immutavit. Sed non ægrè feramus unius particulæ jacturam; quâ forsan effectum est, nè totus hic locus (utpote sic satis multatus) penitus expungeretur. Non enim nostro primùm ævo nata est ars expurgandi. antiqua res est, quæ olim in hujus dogmatis memoria ex antecessorum Patrum scriptis eliminanda tyrocinium fecit. postquam nimirum per complures annos non exiguo partium fervore agitatum, tandem Damasi Pontificis authoritati succubuerat; id quod ex hodiernis Irenæi, Victorini Pictavionensis, & Sulpitii Severi exemplaribus, cuivis manifestum est.*

[e] Non esse mortuorum resurrectionem] *Basilidiani, Valentiniani, Saturniniani, Ophitæ, Carpocratiani, Colabarsiani, Cerdoniani, Marcionitæ, Apellitæ negârunt resurrectionem carnis; iidemque omnes, cum Menandrianis & Cerinthianis, blasphemârunt Deum legis & prophetarum, supremum eum Deum fuisse negantes, sed aut Angelum, eúmque malum & turbulen-*

mori-

moriantur, animas ipſorum in cœlum [f] recipi: nè tamen exiſtimetis eos eſſe Chriſtianos; perinde ut neque Judæos, ſi quis rectè ſentiat, dicat eſſe Sadducæos, aut perſimiles hæreſes Geniſtarum, & Meriſtarum, & Galilæorum, & Hellenianorum, & Phariſæorum baptiſtarum, (nè cum moleſtia me omnia quæ ſentio dicentem audiatis) ſed Judæos quidem appellari & filios Abraæ, & confitentes labiis Deum; cor autem illorum (ut ipſe Deus clamat) longè abeſſe ab eo. ΕΓΩ ΔΕ, ΚΑΙ ΕΙ ΤΙΝΕΣ ΕΙΣΙΝ ΟΡΘΟΓΝΩΜΟΝΕΣ ΚΑΤΑ ΠΑΝΤΑ ΧΡΙΣΤΙΑΝΟΙ, *EGO AUTEM, ET SI QUI SUNT PER OMNIA ORTHODOXÆ* [g] *SENTENTIÆ CHRISTIANI*, & carnis Reſurrectionem futuram novimus, & MILLE ANNOS in Jeruſalem inſtauratâ & exornatâ & dilatatâ; ſicut prophetæ Ezechiel & Eſaias & alii promulgant.

Sic namque Eſaias de Mille iſtorum annorum tempore [περὶ τῆς χιλιονταετηρίδος ταύτης] loquutus eſt. * *Erit enim Cœlum novum & Terra nova, & non recordabuntur priorum, neque eorum illa venient in cor-*

tum, aut Virtutem, neſcio quam, inferiorē dicentes; Chriſtúmque homines ab ejus poteſtate liberatum veniſſe. Atque hinc videre eſt, cur Tertullianus iſtoc de Millenario dogma aſſerat contra Marcionitas; itémque Irenæus Traſl. contra omnes hæreſes. Quamvis enim id negare hæreſis non fuerit (cùm de modo & qualitate ſecundi adventûs Chriſti quæſtio ſit, non de re ipſa;) illis ta-

men temporibus videtur ab hæreticis, quos dixi, præcipuè, ſi non ſolis, negatum fuiſſe, idque privatam ob cauſam: nè ſcilicet hoc admiſſo, confiterentur & carnis reſurrectionem, & Deum legis & prophetarum eſſe Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti.

[f] Animas ipſorum in cœlum recipi] *Plerique enim Patrum ſic cenſuêre, Animas juſtorum in Paradiſo quodam, ſeu loco felicitatis & refrigerii requieſcere, non tamen in cœlo conſummari ante reſurrectionem. Nobis tamen hîc licebit aliter opinari.*

[g] Orthodoxæ ſententiæ Chriſtiani] *Si primarios Fidei articulos excipias, neſcio an ſimile Teſtimonium aſſ.ri poſſit de ullo dogmate chriſtiano. Magnum hoc præjudicium eſt, ſecuto ab Apoſtolis proximo, omnes Orthodoxos ità ſenſiſſe. Fallus enim eſt Juſtinus ex Philoſopho Chriſtianus, annis circiter triginta à morte Joannis Apoſtoli; quo tempore plus quàm veriſimile eſt, plures adhuc ſuperſtites fuiſſe, qui ipſos Apoſtolos docentes audiverant.* * Iſa. 65. 17.

da: ſed lætitiam & exſultationem invenient in his, quæ ego creo. Quia ecce facio Jeruſalem exſultationem & populum meum lætitiam, &c. ad finem capitis. De illo verò [*Nam ſecundum dies ligni vitæ,* [h] *dies populi mei*] ſubjungit. In his verbis Mille annos arcanè deſignari intelligimus. ut enim Adæ dictum eſt, quo die de ligno comediſſet, eo die moriturum etiam eſſe; ſcimus eum mille annos non impleviſſe. Novimus quoque (pergit) dictum illud, quòd *dies Domini ſit ſicut mille anni* *, huc pertinere. Et Vir apud nos quidam, cui nomen Joannes, [i] è duodecim Apoſtolis Chriſti unus, in ea quæ illi exhibita eſt Revelatione, Chriſti fideles noſtros Annos mille Hieroſolymis peracturos eſſe prophetavit: ac poſtea univerſalem & (ut ſemel dicam) ſempiternam omnium unanimiter ſimul Reſurrectionem & Judicium futurum; id quod & Dominus noſter dixit, quòd *nuptum neque daturi, neque accepturi, ſed Angelis æquales futuri ſint*; utpote filii Dei reſurrectionis. Apud nos enim huc uſque etiam prophetica extant dona, &c.

[h] Ligni vitæ] *In Hebræo eſt ſimpliciter* עץ חיים *at Septuag.* τῦ ξύλυ τῆς ζωῆς *quibus etiam ſuffragatur Chaldæus paraphraſtes, ut hinc appareat, traditionem de Arbore vitæ hoc loco intelligendæ, ſatis antiquam eſſe. Sitne verò ſolida an ſecùs, alius judicet. Interim videtur Juſtinus exiſtimáſſe, Vitam ligni vitæ, ſeu hominis in ſtatu Paradiſi, futuram fuiſſe Mille annorum; id eſt, tamdiu hominem, ſi non peccáſſet, victurum fuiſſe in hoc mundo, poſtea in beatiorem locum & conditionem transferendum. Jam autem, quòd peccáſſet Adam de fructu vetito comedendo, neque ipſum, neque ex poſteris ejus aliquem, qui maximè longævus fuerit, iſtum annorum numerum attigiſſe, ſed intra magnum illum d'em mortuum eſſe.* * 2.Pet.3.8.

[i] E duodecim Apoſtolis Chriſti unus] *Hoc imprimis obſervandum contra Dionyſium Alexandrinum & aſſeclas ejus Chiliomaſtiges, qui controverſiâ illâ circa finem ſecùli tertii fervente, ut Apocalypſeos quâ premebantur authoritatem aliquâ ex parte imminuerent, eam non Joanni Apoſtolo, ſed alii neſcio cui Joanni attribuendam volebant, Juſtini, Irenæi & omnium Patrum antecеſſorum ſuorum traditione reclamante.*

Locus

Locus alius ibidem eôdem ſpectans.

Poſt ſermonem de Magno die Judicii (quem τὴν μεγάλην ἡμέραν τῆς κρίσεως vocat) quando Judæi plangerent Chriſtum quem pupugerunt, ipſéque Chriſtus inauguratus ſecundum ordinem Melchizedec, judex futurus eſſet vivorum & mortuorum, ſtatim ſubjicit.

In cujus ſecundo adventu, nè exiſtimetis Eſaiam aut alios prophetas admonere, ut ſacrificia* ſanguinis aut libationum ſuper altari offerantur, ſed veræ atque ſpirituales laudes & gratiarum actiones.

* Sacrificia ſanguinis, &c.] *Fidem tuam Hieroxyme! qui cum Dionyſio tuo Alexandrino Millenariorum dogmati promiſcuè affingitis* Circumciſionis injuriam, victimarum ſanguinem, *cæteráſque legis cæremonias poſſibiliter inſuas tandas. Sciticet quæ Judæi, aut fortè ex Judaiſmo hæretici (ſi modò vera ſint, quæ ex Gaio neſcio quo, de Cerintho affertis) de ſuo Millenario ſomniarunt; vos Chriſtianis odiosè impingitis. Hoccine verò candorem veſtrum decuit? Imò, tu Hieronyme, vel teipſo judice, prodis criminationem iſtam falſam eſſe. Sic enim ſcribis in Jeremiam, cap. 19. v. 10.* Poſt captivitatem quæ ſub Veſpaſiano & Tito, & poſtea accidit ſub Hadriano, uſque ad conſummationem ſeculi Ruinæ Hieruſalem permanſuræ ſunt: quanquam ſibi Judæi auream atque gemmatam Hieruſalem reſtituendam putent, rurſúſque victimas & ſacrificia, & conjugia ſanctorum & regnum in terris Domini Salvatoris: quæ licèt non ſequamur, damnare tamen non poſſumus, quia multi virorum Eccleſiaſticorum & Martyrum iſta dixerunt. Unuſquiſque in ſuo ſenſu abunder, & Domini cuncta judicio reſerventur. *Hæc verba tua ſunt, Hieronyme. Sed dic ſodes: An viri iſti Eccleſiaſtici & Martyres ſanctiſſimi dixerunt, circumciſionem & victimas in regno illo Chriſti reſtituendas? cave dixeris. Aut ſi ità credidiſſe ſcires, eorum ſine cunctatione damnares? Quod autem Cerinthum attinet, ſi quid hujuſmodi erraverit, ex Judaiſmo attulit (Judæus enim fuit,) Chriſtianis non imputandum. Mirum tamen eſt de hac Cerinthi hæreſi apud Irenæum & Tertullianum, nè γρ quidem reperiri; qui tamen ex profeſſo de erroribus ejus ſcripſerunt. Totum hoc nititur fide cujuſdam Gaii, hominis obſcuri, quem neſcio, an ex Alogorum hæreticorum numero fuerit, quos teſtatur Epiphanius tam ſomnis Evangelium, quàm Apocalypſin Cerintho adſcripſiſſe. Certè eodem tempore vixit. et Apocalypſin quod attinet, ab eorum ſententia non abhorruiſſe, quicunque verba ejus apud Euſebium haud oſcitanter legerit, fatebitur.*

PLACITA DOCTORUM HEBRÆORUM DE MAGNO DIE JUDICII, ET REGNO MESSIÆ TUNC FUTURO.

SEptimum *Millenarium ab universa Cabbalistarum Schola vocari* MAGNUM DIEM JUDICII, asserit Carpentarius Com. in Alcinoum Platonis pag. 322. *quòd tunc arbitrentur* (inquit ille) *Deum cunctorum animas judicaturum.* Cabbalistarum nomine innuit (ni fallor) Doctores Talmudicos; apud quos, non uno authore, traditionem istam celebrari compertum est. Ità enim legitur in Gemara Sanhedrin, Perek CHELEK.

אמר רב קטינא שית אלפי שנה הוי עלמא וחד חריב שנאמר ונשגב יהוה לבדו ביום ההוא.

Dixit R. Ketina: Sex annorum millibus stat mundus, Isai cap. 2. vers. 11. 17. *& uno vastabitur. de quo dicitur:* ET EXALTABITUR DOMINUS SOLUS DIE ILLO. Vastationem verò intelligit, quæ futura est per ignem; quo mundus ut aurum excoctus repurgabitur, atque à servitute maledictionis, sub qua nunc propter hominis peccatum ingemiscit, asseretur in libertatem gloriæ filiorum Dei, Rom. 8. Sequitur paulò póst:

תניא

תניא כותיה דרב קטינא בשם שהשביעית משמטת
שנה לשבעה שנים כך העולם משמט אלף שנים
לשבעת אלפים שנה שנאמר ונשגב ה׳ לבדו ביום
ההוא ואומר מזמור שיר ליום השבת יום שכולו שבת
ואומר כי אלף שנים בעיניך כיום אתמול

Id eſt, *Traditio adſtipulatur R. Ketinæ: Sicut è ſeptenis annis ſeptimus quiſque, Annus remiſſionis eſt: ità è ſeptem millibus annorum mundi, ſeptimus millenarius millenarius remiſſionis erit, quemadmodum dicitur:* ET EXALTABITUR DOMINUS SOLUS DIE ILLO. *Dicitur item* (Pſal. 92.) PSALMUS CANTICUM DE DIE SABBATI. Id eſt, *de die qui totus quies eſt. Dicitur etiam* [Pſal. 90.] NAM MILLE ANNI IN OCULIS TUIS VELUT DIES HESTERNUS.

Hîc duo notet lector. Primum, veteres Judæos prophetiam illam Iſaiæ cap. 2. ubi verba illa [*Et exaltabitur Dominus ſolus Die illo*] bis habentur, de Die Judicii magni & Chriſti regno accepiſſe: à quorum veſtigiis nec poſteriores Rabbini abeunt. ביום ההוא יום הדין, inquit R. Schelomo, IN DIE ILLO, *id eſt, in Die Judicii.* Item לקומו *Cùm ſurrexerit ad conterendum terram*, id eſt, inquit, ליום הדין *in Die Judicii, quo conteret Dominus impios terræ.* Rabbi David Kimchi, ביום ההוא בימות המשיח כשיעשה האל משפט ברשעים IN DIE ILLO, *id eſt, in diebus Meſſiæ, quando exequetur Deus judicium in improbos.* Idem, ET EXALTABITUR DOMINUS SOLUS IN DIE ILLO; *perindè eſt ac ſi dixerat,* והיה יהוה למלך לכל הארץ *Et erit Dominus Rex ſuper omnem terram.* Alterum notandum eſt, Titulum Pſalmi 92, ליום חשבת à Magiſtris iſtis

istis ad Psalmi argumentum spectare putatum, atque de Mille annorum Sabbatismo intelligi debere.

Jam verò ex istis palàm esse arbitror, priscos Judęos DIEM, quem *Judicii* nominârunt, millennio definiisse. id quod ampliùs confirmatur ex Midrasch tehillim, super illud Psal. 90. 15. LÆTIFICA NOS PRO DIEBUS (*vel secundum dies*) QUIBUS AFFLIXISTI NOS. *videlicet* (inquit) *per Babyloniam, per Græciam, & per Romanos, ídque in diebus Meßiæ. Et quot sunt dies Meßiæ? R. Jehosuas dixit, quòd sunt* DUO MILLIA *annorum; sicut dictum est*, SECUNDUM DIES [כימות] QUIBUS NOS HUMILIASTI, *id est, secundum duos Dies.* DIES ENIM UNA DEI SANCTI ET BENEDICTI SUNT MILLE ANNI; *juxta illud,* QUONIAM MILLE ANNI IN OCULIS TUIS TANQUAM DIES HESTERNA. *Dixerunt etiam Magistri, quòd secundum futurum* (ἐν οἰκουμένῃ τῇ μελλούσῃ, Heb. 2. 5.) DIES MESSIÆ *erit una. Deus enim sanctus & benedictus in futuro* [*in seculo futuro*] *faciet ei Diem unam, de qua dictum est* Zach. cap. 14. ET ERIT DIES UNA, ET IPSA EST NOTA DEO, NON DIES NEQUE NOX; ET ERIT, AD TEMPUS VESPERI ERIT LUX. *Hæc dies est* SECULUM FUTURUM *& vivificatio mortuorum.*

Quoto verò millenario Dies ista futura esset, de eo inter ipsos non convenit; neque enim omnibus illa de septimo millenario sententia arrisit. fuerunt, nec minoris authoritatis, qui de sexto censuerunt, ut Domus Eliæ; cujus traditio de millennio Judicii magni extat in hæc verba;

תני רבית אליהו צדיקים שעתיד הקדוש ברוך הוא
להחיותן

לתחיותן אינן חוזרין לעפרם ואם תאמר אותן
אלף שנים שעתיד הקדוש ברוך הוא להחדש בהן
את עולמו שנאמר ונשגב ה' לבדו ביום ההוא צדיקין
מה הן עושין
&c.

Id eſt, *Traditio Domûs Eliæ. Juſti quos reſuſcitabit Deus* (nempe reſurrectione* primâ) *non redigentur iterum in pulverem. Si quæras autem,* MILLE ANNIS *iſtis, quibus Deus Sanctus benedictus renovaturus eſt mundum ſuum, de quo dicitur,* ET DOMINUS SOLUS EXALTABITUR DIE ILLO, *quid juſtis futurum ſit; ſciendum, quòd Deus ſanctus benedictus dabit illis alas quaſi aquilarum, ut volent ſuper facie aquarum. unde dicitur* [Pſal. 46. 3.] *Propterea non percellemur cùm mutabitur terra. At fortè, inquies, Erit ipſis afflictioni: Sed occurrit illud* [Iſai. 40. 31.] *Exſpectantibus Dominum innovabuntur vires, efferentur alâ inſtar aquilarum.*

Quam magiſtri agnoſcunt paſſim, necnon author lib. Sapientiæ cap. 3. ver. 7. 8.

Idem tamen Mundum non niſi ſex annorum millibus duraturum ſtatuit. Ità enim habet, traditio ejus. ששת אלפים שנה חוי עלמא שני אלפים תוהו
שני אלפים תורה שני אלפים ימות המשיח.

Id eſt, *Sex mille annos durat mundus. Bis mille annis inanitas. Bis mille annis Lex. Denique bis mille annis Dies Chriſti.* Quorum idcirco millenariorum alter ex ejus ſententia, Dies ille magnus futurus erat, de quo dicitur: *Et exaltabitur Dominus ſolus die illo.*

Eadem fuit ſententia R. Aſche F. R. Abbæ ut ibidem expreſsè dicitur: nempe, ex ſententia R. Chanan fil. Thahaliphæ אין הקדוש ברוך הוא מחדש
את עולמו אלא לאחר שבעת אלפים שנה

non renovaturum Deum ſanctum benedictum Mundum

ſuum, niſi ad ſeptimum millenarium: R. Aſche verò dixiſſe, id futurum לאחר חמשת אלפים שנה *poſt quintum millenarium.*

Quid porrò amplius, de Meſſiæ regno in magno illo Die futuro, olim cenſuerint Judæorum Magiſtri, ex iis, quæ nunc ſubjiciam, aliquatenus cognoſcere licet.

In capitulis magni Rabbi Eliezar (qui vixit paulò poſt Templum ſecundum) cap. 34. ita dicitur: חי אני נאם יהוה שאני מעמיר אתכם לעתיד לבא בהתיצב המתים ומרבץ אתכם עם כל ישראל לארץ ישראל.

hoc eſt, *Vivo ego dicit Dominus, quòd ſuſcitabo vos in tempore futuro, in Reſurrectione mortuorum, & congregabo vos cum univerſo Iſrael in terram Iſrael.* Petrus Galat. lib. xii. cap. 1.

Sic quoque Paraphraſtes Jonathan (qui ante Chriſtum vixit) ad 14 cap. Hoſeæ verſ. 8. *Congregabuntur de medio captivitatis ſuæ, habitabunt in umbra* Christi *ſui, & vivent mortui, accreſcétque bonum in terra, necnon erit memoriale bonitatis eorum fructificans & indeficiens, juxta ac memoria clangoris Tubarum ſuper vino veteri, quod libari ſolet in Sanctuario.*

Targum Pſalm. 50. 3. *Dicent juſti* ביום דינא רבא *in Die Judicii magni: Veniet Deus noſter & non ſilebit, ut faciat ultionem populi ſui.*

R. Saadias (ex iis Doctoribus quos האונים, id eſt, *eximios* vocant) ad illud Danielis cap. 7. v. 10. *Et Judicium ſedit & libri aperti ſunt,* &c. הוא יום חדין ככתיב כי הנה יום בא בוער כתנור וכתיב וינצח יהוה צבאות במשפט וכתיב לכן חכו לי נאם

נאם יהוה הוא יום הגדול בעת יקום אלוה למשפט

.i. *Iste est* DIES JUDICII, *sicut scriptum est:* ECCE *DIES VENIT ARDENS TANQUAM CLIBANUS. *Item.* ET *EXALTABITUR DOMINUS EXERCITUUM IN JUDICIO. *Item.* QUAPROPTER *EXPECTATE ME, DIXIT DOMINUS. *Ille est Dies magnus, quo tempore exurget Deus ad judicium.*

* Mal. 4. 1.
* Isai. 5. 16.
* Zeph. 3. 8.

Et paulò post.

ודע כי דינא יתיב וספרין פתיחו אשר ביארתי למעלה יום דין ויום פקוד הוא יום העתיד לדרוש כל מעשה בני אדם החיים והמתים.

.i. *Et scito, quòd* [JUDICIUM SEDIT ET LIBRI APERTI SUNT] *quod exposui suprà de* DIE JUDICII *&* Die * *visitationis, sit Dies futurus, quo inquiretur in omne opus filiorum hominis, tam vivorum, quàm mortuorum.*

* Sapient. cap. 3. 7.

Idem ad v. 18. *Suscipient regnum Sancti Dei altissimi.*

על אשר ימרדו ישראל ביהודה תנטל מהם מלכותם ותנתן לאלו ארבע מלכיות וירשו המלכות בעולם הזה וינלו ישראל וישתעבדו תחתם עד העולם הבא עד שימלוך משיח:

.i. *Propterea quòd rebellârunt Israelitæ contra Dominum, auferetur ab illis regnum ipsorum & dabitur hisce quatuor Monarchiis, quæ possidebunt regnum in hoc seculo, & captivum ducent & subjugabunt sibi Israelem usque ad* SECULUM FUTURUM, *donec regnaverit* MESSIAH.

Confer Luc. 21. 25. scilicet, *Judei captivi ducentur in omnes gentes & Jerusalem calcabitur à Gentibus, usque dum impleantur tempora gentium. Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube, &c.*

Et illud Tertulliani adverſ. Marcionem lib. 5. cap. 10.

Chriſtus præputiati Sacerdotii Pontifex cognituram ſe quandoque Circumciſionem & Abrahæ gentem, quum ultimò advenerit, acceptatione & benedictione dignabitur.

Huic conſentaneum eſt, quod in libro Berachoth cap. מאימתי קורין (ſide Petri Galatini) ità legitur. Lib. 11 c. 1 Dixit Ben Zuma: *Futurum eſt, ut Iſrael non faciat memoriam exitûs ex Ægypto in* FUTURO SECULO *& in diebus Meßiæ. Et quid eſt hujus rei probatio? Quod ſcriptum eſt* [*Jerem.* 23.] ECCE DIES VENIUNT, ET NON DICENT ULTRA, VIVIT DOMINUS QUI ASCENDERE FECIT FILIOS ISRAEL DE TERRA ÆGYPTI &c. *Dixerunt Sapientes, Non quòd evellendum eſſet nomen Ægypti de loco ſuo, ſed quòd mirabilia quæ fient in diebus Regnorum* (.i. quando Meſſias regna mundi deſtruet) *erunt principale* עקר *& Ægyptus erit* טפלה .i. *acceſſorium.*

Ex his & ſimilibus diſcat Lector, cur Hieronymus Millenariis toties Judaiſmum exprobet; quod quidem adeò ſtudioſè facit, ut hoc ei palmarium argumentum fuiſſe videatur, quo dogma illud erroris convincat. Sed utut de dogmate ſit, perperámne ſenſerint Patres iſti, an ſecus; ſanè cum Judæis ſentire, non ſemper in vitio ponendum eſt. Sin aliter; quin igitur *Seculum futurum, Gehennam, Paradiſum* quoque explodimus? Annon enim hæc cum Judęis communia tenemus Chriſtiani? Nunquid non nomina ipſa (ſicut & *Regni cælorum*, & *Diei Judicii*) à Judæorum Magiſtris tradita accepimus? Ubi enim illa in Veteris Teſtamenti Canone comparent, quæ

quæ tamen apud Doctores Judæorum frequentissima sunt?

Præterea, quis jam, veterum Hebræorum dogmate de Millennio Diei Judicii audito, non statim se ad credendum solicitari sentiat, Apostolum Petrum apud eosdem (nam utraque Epistola ad Judæos data est) de *Die Judicii* differentem & continuò ad ejus mentionem subjicientem, *Hoc vos non lateat, Unum Diem apud Dominum esse sicut mille anni*: Magistrorum ea de re traditionem confirmare voluisse? præsertim cùm verba illa, non ex Psalmo (ut vulgò persuasum est) sed ex formula Judæorum de Die illo loquentium tritâ mutuata esse, videantur. Imò ampliùs cogitabit; Nisi Christus Dominus & Apostoli ejus nomen Diei Judicii à Judæorum Magistris profectum, eâdem cum ipsis mente frequentâssent, quorsum id nè verbulo quidem uspiam indicârint? Annon enim periculi plena res est, imò proclivis ad fallendum via, errantium verba & phrases inter docendum adhibere, absque omni cautione aut dissimilis sensûs indicio?

His ità se habentibus, viris doctis, & de hujusmodi in Theologia mysteriis judicare valentibus, expendendum relinquo; annon hæc optima & facillima cum Judęis agendi ratio esset; non ut clarissimæ illæ de rebus in secundo & glorioso Christi adventu prophetiæ ad primum torqueantur; verùm ut illis persuadeatur, nullum alium Messiam ipsis expectandum esse, qui ista omnia, mutatis nempe mutandis (neque enim hîc Christiano cum Judęis penitus, sed ad fidei Christianę libellam sentiendum) impleret, quàm Jesum illum Nazarenum, quem Majores ipsorum

rum crucifixerunt. id quod Apocalypsis passim, támque studiosè inculcat. *Ecce,* (inquit statim ab initio) [JESUS CHRISTUS, *primogenitus ille ex mortuis, qui dilexit nos & lavit nos à peccatis nostris per sanguinem suum*] *venit cum nubibus & videbit eum omnis oculus, etiam qui eum transfixerunt, & plangent coram eo omnes tribus terræ. Ego sum* A *&* Ω, *principium & finis, dicit Dominus, qui est & qui erat & qui venturus est, &c.* Item, dum passim Regnum illud augustum AGNO, id est occiso illi Jesu, tribuit. ut c. 7. de Turba palmifera: AGNUS *pascet eos,* &c. cap. 17.14. AGNUS *vincet illos, quia Dominus dominantium & Rex regum est.* cap. 19. 7. *Venerunt nuptiæ* AGNI, &c. cap. 21. 9. de Nova Jerusalem: *Ostendam tibi Sponsam* AGNI, &c. & ver. 23. *Lucerna ejus est* AGNUS, &c. Dum enim nos clarissimas illas, de rebus in secundo Christi adventu, prophetias ad primum torquemus, Judæi nos derisui habent, & in infidelitate sua magis obfirmantur.

Hanc Judæos convertendi rationem, nisi nimiùm fallor, secutus est Apostolus Petrus, Act. 3. v. 19. *Resipiscite,* inquit, *& convertimini, ad delenda peccata vestra; ut* * *veniant tempora Refrigerii à facie Domini, & mittat priùs prædicatum vobis* JESUM CHRISTUM; *quem oportet quidem cœlos capere ad tempora Restitutionis omnium, de quibus loquutus est Deus à seculo per os omnium sanctorum suorum Prophetarum.*

* ὅπως ἂν ἔλθωσι.

1. Thess. 5. 21.

OMNIA PROBATE; QUOD BONUM EST TENETE.

Τῷ Κυρίῳ ἡ Σωτῆρι ἡμῶν Ιησοῦ Χριστῷ δόξα ἡ νῦν ἡ εἰς ἡμέραν αἰῶνος. Αμήν.

FINIS.